



Stochflecke

G. f. 170

Thes. P. VIII. 367 641.



15  
EXPLICATIO

ἑλεγκτικῆ

Evangelii Dominicæ  
Quinquagesima.

*Quam*

DEO DUCE

P R Æ S I D E

Dn,

JOHANNES GERHARDO

DOCTORE ET PROFESSORE  
THEOLOGO.

Suo

Patrono, & Praeceptore æternùm honorando.

Publicè

*Ventilandam proponit*

M. SALOMON GLASSIUS

SONDERSHUSINUS.


*Ad diem 9. Maii, horis  
matutinis.*

ANNO M. DC. XVIII.

J E N Æ

Typis TOBIÆ STEINMANNI.





*Reverendis, pietate, virtute & eruditione  
conspicuis viris*

**Dn. THOMÆ CUNTIO,**  
Ecclesiæ Esperstetensis Pastori meritissimo,  
Dn. Patruo & Fautori meo plurimum  
honorando,

**Dn. ANDRÆ BECHMANNO,**  
Ecclesiarum Ellebiensis & Wolfershusinæ  
Antistiti itidem fidelissimo, Affini meo &  
amico dilecto.

**Dn. GEORGIO LANGIO,** Ecclesiæ  
in Neusis & Herrenschwenda Pastori dignissi-  
mo, olim Præceptori, nunc amico & Fautori  
multum colendo.

*Disputationem hanc*

*ἑλεγκτικὴν*

*In memoris & grati animi τεκμήριον*

*In amoris continuandi ὀρμητικόν*

*offero & dedico*

**M. SALOMON GLASSIUS**  
Autor & Respond.





כאלהים

# EVANGELIUM DOMINICÆ QVIN-

quagesima, quod describitur à

*Matth. 20. v. 17. Marc. 10. v. 32. Luc. 18. v. 31.*

THESIS PRIMA.



**I**nter alias actiones & ceremonias, quas in Sacramento Agni Paschalis à populo Judæorum observari divina institutio jussit, hæc quoque, eaq; in ordine prima erat, ut decima die primi mensis Nisan, sive Abib agnus Paschalis (isq; integer & immaculatus) segregaretur, & usq; ad diem ejusdem mensis decimam quartam custodiretur, Exod. 12. v. 3. 6. Hac de re Rabi- ni testantur, agnum segregatum toto illo quadriduo ligatum in hypocausto ædium ad fuicrum sponde jacuisse, ut in omniũ conspectu versaretur, & domesticos de digna præparatione ad Sacramenti celebrationem, ac de Messia propter peccata nostra ligando & in ara crucis mactando admoneret.

*Proœmium.*

2. Omnia hæc ut umbra fuerunt futurorum Col. 2. v. 17 Hebr. 10. v. 1. Christumq; agnum Dei immaculatum, & ab omni peccati labe perpurgatum Es. 53. v. 9. 1. Pet. 2. v. 22. Hebr. 7. v. 26. 1. Pet. 1. v. 19. præfigurarunt: Ita præsentem quoq; Dominicæ actus ille segregationis, & per aliquot dies custodiæ pulcherrimè convenit.

3. Jam enim ex pio veterum instituto agnus iste DEI





*ἀσπιλος καὶ ἄμωμος* in Ecclesia Dei quasi segregatur, hoc est, per aliquot septimanas passio & mors ejus acerbissima pro concionibus populo Dei exponitur ac annunciat, ut ad solennem mortis & resurrectionis Dominicæ diem animi hominum præparentur, & ipsi quoq; hac devota meditatione a peccatis per seriam poenitentiam separentur, & ad Deum appropinquent, Es. 59. v. 2. Jac. 4. v. 8.

4. Quare ejusmodi etiam huic Dominicæ nostræ adjudicavit & accommodavit Evangelium, quo Christus seipsum ad preciosam suam passionem quasi separat, illam discipulis à reliqua turba separatis prænunciando, & à futuro scandalo animos ipsorum hoc modo præmuniendo. Cui prædictioni alia simul à Luca immediate subjuncta historia additur, quæ cæcus quidam ab hoc salutis nostræ autore per fidem & ardentem precem sanatus memoratur. Ut hac duplici Evangelii nostri parte, tum salutis & justitiæ scaturigo Es. 12. v. 3. nempe passio & resurrectio Christi; tum salutare salutis istius & justitiæ ἐπιλητήριον, sive haustum, nempe fides, cum ardenti oratione conjuncta, significetur.

5. Hac igitur materiei hujus tum necessitate tum utilitate & jucunditate adducti ad rem ipsam nos accingimus, Evangelii & ἀνάλυσιν, & ex illa fluentē ἐλεγγιν breviter subjuncturi, quod hac sub partitione commodè potest fieri, ut ante oculos ponamus & consideremus. 1. Christum passionis & resurrectionis suæ prænuncium. 2. Eundem cæci Hierichuntici medicum. Tu verò ô Christe pro nobis passe & resuscitare, mitte nobis sapientiam tuam de cœlis sanctis tuis, & a sede magnitudinis tuæ, ut nobiscum sit, & nobiscum laboret, ut sciamus, quid acceptum sit apud te. Sap. 9. vers. 10.

*Evangelii  
partitio.*

### PARS PRIOR.

De Christo passionis & resurrectionis suæ prænuncio.

*Membris  
prima par-  
tis.*

6. Potest hæc Evangelii pars quinque membris commode includi, ut dicatur 1. Quis doceat? 2. Quos? 3. Quomodo? 4. Qua



4. Quâ de re? & s. demum, quo cum profectu doceat?

7. I. Membrum de prædictionis autore quærit. Ille v. *I. Quis docuit.*  
Christus Jesus est. In cujus membri enodatione præcipue *Causa prædictionis.*  
*τὸ αἴτιον καὶ καταρχήτιον* evolvendum est, quare Christus non  
hac solum, sed aliis etiam vicibus tam crebro & accuratè de  
futura sua immolatione concionari voluerit. Initium enim  
istius rei fecit Matth. 16. v. 21. Mox in monte Luc. 9. vers. 31.  
Moses & Elias cum ipso collocuti sunt de exitu, quem comple-  
turus erat in Jerusalem. Matth. 17. v. 12. Marc. 9. v. 31. Luc. 9.  
vers. 44. Johan. 3. vers. 14. eandem doctrinam repetit.

8. Causæ verò hujus rei non sunt obscuræ, quas ita enu-  
merare possumus, ut I. sit mysterii in passione sua latentis o-  
stentio. Cum enim de nudi hominis morte multa dicere su-  
pervacaneum sit, ( nihil enim vulgarius & notius est, quàm  
hominem tandem mori ) ipsa tamen cœlestis Sapiencia ne-  
cessarium duxit, de sua morte discipulis aliquoties concionari.  
Magnum quippe mysterium est mori sanctissimum. 2. ipsum  
Deum. 3. & mori pro totius mundi vita.

9. II. Spontaneæ suæ oblationis demonstratio. Domi-  
nus enim discipulis suis (verba sunt Chrysi. ser. 5. in 5. ser. passio-  
nis) passionis suæ prædixit ordinem, eloquitur qualitatem. Qui futura  
prædicere potuit, potuit & cavere. Ignaros adversa præveniunt, non  
scientes: pari voluit, qui sponte locum, ubi pateretur, ascendit. Mors  
invitus imperat, volentibus servit. Ergo quod volens moritur, non casus  
est sed potestas. Potestatem habeo, inquit, ponendi animam meam, &  
potestatem habeo sumendi eam &c.

10. III. Causa est scandali amotio. Iturus enim Hieroso-  
lymam & secum ducturus Apostolos, ad tentationem eos parat, ne cum  
venerit persecutio & cruce ignominia, scandalizentur, quæ sunt ver-  
ba Hieron. in Matth. 20. IV. A mundanis cogitationibus  
abductio. Profundas admodum radices in animis discipulo-  
rum egerant cogitationes de Messia regno mundano, ut ex  
multis locis Evangelicis est apertum. Huic igitur malo me-  
deri, & suavium iltorum somniorum vanitatem crebra hac  
amaræ suæ passionis prænuntiatione ostendere voluit.

A 3 II, V. Apo-



5.

V. Apostolorum consolatio: Neque enim solam mortem, sed & ex morte resurrectionem prædicit, idq; eo fine, ut cum eum morientem sicut prædictum erat, cernerent, etiam de futura resurrectione non dubitarent, ut Gregorius hom. 2. in Evang. loquitur. VI. Denique passionis suæ commendatio. Somnolentiã quippe & negligentia nostram in illius consideratione excutere voluit, & exemplo præire, ut & nos ejusdem passionis sæpius meminerimus, eam meditemur, omnemque consolationem & salutem inde quæramus. Vide Luc. 9. v. 44. 2. Tim. 2 v. 8. Heb. 12. v. 3. De his causis vide fusius differentem D. Polycarpum in Harmonia Evangelica cap. 134.

6.

II. Membrũ  
Quos doceat?

δωδεκα.

12. Hactenus primum primæ partis membrum: succedit Alterum, quod de *ἡ δωδεκά* quærit, seu de iis, quibus ista concio Christi facta est. De hoc Lucas: *παραλαβὼν δὲ τὰς δώδεκα*. Nomine hoc venerandum Apostolorum Collegium denotatur, quos immediatè Christus vocaverat, & ad portandum nomen suum coram gentibus & regibus & filiis Israël, Act. 9. v. 15. selegerat. August. libr. 1. quæst. Evang. c. 27. pro duodecim hoc loco legit duo: *Quod Dominus seorsim (inquiens) se duobus discipulis passurum refert, ad confirmandum posterum testimonium fecit: quia dixit, in ore duorum vel trium testimonium stabit omne verbum. Ut enim neq; vulgaretur, quod dicebat, neq; caret humani testimonii firmitate, paucioribus quàm duobus dicere non potuit: vel ad Sacramentum charitatis ostendendum, minus enim quàm in duos charitas esse non potest &c.* Verùm lib. 2. retract. cap. 12. seipsum corrigit, & hunc locum emendat.

III. Quo modo doceat? Suggest hoc

3. Itineris ingressum.

13. Tertium membrum, quomodo Christus de passione sua discipulos docuerit, & qua occasione id fecerit, tria rursus in mentem nobis revocat, quæ ex collatione Lucæ cum duobus reliquis Evangelistis sunt observanda. I. *Itineris ingressum*. Ita enim Marcus cap. 10. v. 32. Erant a. in via ascendentes Hierosolymam, & præcedebat illos Jesus &c. De termino à quo, tempore, & ordine hujus itineris apud quosdam movetur dubium Sebast. Barrad. tom. 3. concord. Evangelic. lib. 6. cap. 9. & Adrichomius in teatro terræ sanctæ pag. 268. terminum





terminum a quo putant esse civitatem Ephem, in regione  
juxta desertum, in quam post resuscitatum Lazarum propter  
furorem Pharisaorum Christus cum discipulis abiisse narra-  
tur Joh. 11. v. 54. Ibidem igitur tamdiu substituisse cum disci-  
pulis eum putant, donec tempus passioni destinatum adesset,  
& cum iter hoc Hierosolymam versus suscepisse. Sed commo-  
dior D. Polycarpi videtur ordinatio, qui post acceptum de La-  
zari infirmitate nuncium hanc historiam ponit. Quod enim  
Joh. 11. v. 7. Christus ad discipulos dixit, Eamus in Judæam.  
iterum, illud nunc actu perficit, & in via simul ipsis denunciat  
Lazari obitum, suamq; propriam passionem, mortem, & glo-  
riosam resurrectionem.

14. 2. *Christi prægressum.* Cum enim videret Christus,  
discipulos suos ad hanc profectioem minus esse promptos,  
sibiq; & Magistro suo metuere (sciebant enim Hierosolymis  
hostes ejus rerum potiri, & ibidem periculorum & insidia-  
rum plena esse omnia) præcessisse ipsum Marcus d.l. refert,  
cum aliis vel discipuli, vel aliqui ex plebe præcedere soliti fuis-  
sent. Id (juxta Theophylact. in h. l.) ideo factum, ut ostenderet  
se ad passionem suam accurrere, & non fugere mortem propter nostram  
salutem. Exemplo suo simul discipulos excitare voluit, ut o-  
mnem metum deponerent, & imperterrito animo se seque-  
rentur. Hanc animi in Christo præsentiam & constantiam  
discipuli sequentes *ἐθαυβήθησαν*, stupefacti admirabantur, ut  
ibidem dicitur: sed & *ἐφοβήθησαν*, seu pavefacti timebant, me-  
tuentes, ne ex communi decreto ipsi quoque præsens vitæ in-  
currerent periculum.

15. 3. *Discipulorum digressum.* Cum enim jam in via esset  
versus Hierosolyma, atque à frequenti turba procul dubio  
pro more comitaretur, Christus duodecim Apostolos assumit  
(Matthæus addit καὶ ἰδιῶν, è reliqua turba seorsim ac solos  
assumptos illos fuisse ostendens) illosq; de passione sua instru-  
xit. Quare verò solos Apostolos, reliquâ turbâ exclusâ? Quia  
ipso scandalum crucis vel maximè pressurum erat, & ipsi ta-  
men ejus testes esse debebant in universo terrarum orbe.

16. Quartum membrum ipsam Christi concionem ad  
discipu-

2. *Christi  
prægressum.*

3. *Discipu-  
lorum dia-  
gressum.*

IV. *Membr.  
De quare  
doceret.*



discipulos habitam describit, in qua tunc *passionis miseriam*; tunc  
*resurrectioni gloriam* graphice & accurate proponit consideran-  
*dam*. Quo sine etiam particulam *Ἰερουσαλὴμ* regis ἰμ. *Ἰερουσαλὴμ* Ec-  
*ce*, præmittit, ut ad majorem attentionem ipsos excitaret, q. d.  
que jam vobis indicabo, ea magni omnino momenti sunt, qua-  
re singulari diligentia ea in animos vestros reponite, ut in  
simili loquitur Luc. 9. v. 44.

1. De passio-  
nis miseriam.

Ubi

1. Locus.

Cur Hiero-  
solyms  
Christus  
passus.

1. Ratio.

2.

3.

4.

5.

6.

7.

17. PASSIONIS miseriam à Christo præmonstrata his ab-  
solvitur membris 1. Loco, ubi passio illa futura sit: Ecce  
ascendimus, ait, Hierosolymam. *Ἰερουσαλὴμ* seu ascendere eo  
Christus dicitur, erat enim in celsiori loco sita, utpote cum  
fundamenta ipsius in montibus sanctis esse dicantur, Psal. 87.  
v. 1. De civitate hac alibi dicendi locus erit: Hac vice per-  
pendendum illud, cur Christus Hierosolymis & non alibi pas-  
sionem suam sustinere voluerit? Causa unica & principalis in  
divina quidem voluntate & decreto quaerenda est, interim  
hæc incommode & injucunde, alia etiam ex Scripturis & in-  
terpretibus afferri possunt. 1. Luc. 13. v. 33. dicit Christus:  
*Non contingit Prophetam perire extra Jerusalem.* Jam verò Chri-  
stus erat summus ille Propheta, Deut. 18. vers. 15. 18. promissus.  
2. Adamus, per quem peccatum in mundum introductum est,  
Rom. 5. v. 12. ibidem mortuus est ac sepultus, Epiph. hæc. 46.  
Eo igitur in loco Christus de morte triumphare voluit, in quo  
prius ipsa de homine triumphaverat. 3. Isaac ibidem olim  
debit immolari, ut ex Ambrosio refert August. serm. 71. de  
tempore. Fuit a. Isaac typus Christi Hebr. 11. vers. 19. 4. Pro-  
hibitum erat, ne usquam offerrentur sacrificia, præterquam  
Hierosolymis, Deut. 17. vers. 5. Christus igitur unicum illud  
propitiatorium sacrificium ibidem offerri voluit. 5. Hiero-  
solymsa est typus Ecclesiæ, docente Paulo Gal. 4. vers. 26. in qua  
sola fructus passionis Dominicæ viget. 6. Hierosolymsa ha-  
bitabilis terræ medium est, & veluti cor; Inde igitur in uni-  
versum mundi corpus per passionem Christi salus æterna ema-  
navit. 7. Non in angulo, non in parvo aliquo oppido, sed in  
celeberrima civitate in crucem agi Christus voluit, ut omnib.  
cōspicua esset sua passio, cum fructus ejus ad omnes pertineat.  
8. Hic



8. Hierosolyma est visio pacis, denotatum ergo fuit, Christum sua passione veram & aeternam nobis pacem reparasse. 9. Hierosolyma est typus vitae aeternae. Apoc. 21. vers. 2. denotatum igitur fuit, Christum suo egressu ex Hierosolyma ad locum crucis peperisse nobis ingressum in caelestem Hierosolymam, locum quietis, &c.

8.

9.

18. II. *Subiecto*, isti passioni obnoxio. καὶ τελεσθήσεται πάντα τὰ ὑμῶν τῶ ἀνθρώπου. Beza ex fide vetustissimi (ut inquit) sui Codicis & cum Syri cum Latini veteris Interpretis substituit τῶν τῶ ὑμῶν τῶ ἀνθρώπου, ut relata intelligantur haec verba ad proximè antecedentia, hoc sensu: Et consummabuntur omnia, quae scripta sunt de Filio hominis. Quae lectio etiam si nihil incommodi secum ferat, tamen concordi omnium exemplarium nostrorum lectione moti, ad remotiora commodius haec verba referri posse statuimus, sensu eo: Et consummabuntur omnia (in quo autem subiecto?) Filio hominis sive in Filio hominis, quae à Prophetis scripta sunt. Filium hominis se appellat Christus, tum propter humanae naturae assumptae veritatem, tum propter exinanitionis suae vilitatem, (qui enim viles, abjecti, & praeter reliquis contemti sunt, dicuntur filii hominum, quibus opponuntur filii virorum) quo nomine alias etiam saepius appellatur, Psal. 8. v. 5. Dan. 7. v. 13. Matth. 8. v. 20. cap. 16. v. 13. c. 26. v. 64. &c.

2. *Subiecti  
passions.*

*Filius ho-  
minis.*

19. III. *Prophetarum testimonio*. Et implebuntur (inquit) omnia quae scripta sunt à Prophetis. Id non frustra praemittit Christus, sed cum in finem, ut 1. Apostoli eò minus turbarentur, si audituri essent, per hanc passionem impleri Scripturas Propheticas, 2. daret intelligendum, nihil hic fortuito fieri aut caeco casu, sed certa, praeterordinata & praedicta esse à Deo omnia. 3. Scripturarum auctoritatem divinam nobis commendaret, quas impleri tantoperè necesse erat.

3. *Prophetarum testi-  
monium.*

20. Haec Prophetarum V. T. de passione Dominica praedictio alibi etiam inculcatur & commendatur. 1. Cor. 15. v. 3. inquit Paulus, Christum passum esse pro nobis & resurrexisse secundum Scripturas Actor. 3. v. 18. inquit Petrus: Praenunciasse Deum per os omnium Prophetarum, quod Christus pati debuerit. Luc. 24. v. 26. Chri-

B

26. Chri-





26. Christus ipse hoc proponit, inquiens: *Nonne oportuit Christum pati, & ita intrare in gloriam eius* (quam tamen necessitatem non absolutam esse, qua coacti fuerint Judæi Christum occidere, ut Scripturæ impleri possent, sed hypotheticam, qua Deus pertinaces Judæorum voluntates prævidens propter generis humani redemptionem in manus eorum Filium suum occidendum tradere constituit, atq; id ipsum per Prophetas in V.T. prædixit, id inquam, docetur alibi fusiùs.)

Quid Propheta prædixerint?

21. Non injucundum & inutile erit, vaticiniorum istorum, ad quæ Christus nos vult remissos, catalogum quendam, hic proponere, & non tam explicare, quam extremis tantum digitis attingere. Ea verò partim *perspicuis oraculis & clarissimis Prophetiis*, partim *v. typorum involucris* constant. Siquidem, ut rectè scribit Irenæus lib. 4. c. 37. *non solum sermone prophetabant Prophetae, sed & visione & cõversatione, & actibus quos faciebant, secundum id, quod suggererat Spiritus.* Et August. lib. de catech. rudi. c. 19. *statuit, totam vitam Sanctorum V. T. fuisse Prophetiam de Christo, quorum non solum linguam, sed & vitam Propheticam fuisse,* idem eleganter asserit lib. 22. contra Faust. c. 24.

Prophetie de passione.

22. Oraçula & Prophetia vel in genere passionem Messia: proponunt, quales sunt Genes. 3. v. 15. Gen. 49. v. 11. Psal. 8. v. 6. Confer Heb. 2. v. 7. 9. Psal. 22. v. 1. 2. Psal. 69. v. 20. Psal. 110. v. 7. Esa. 43. v. 24. Esa. 53. v. 4. 5. Esa. 63. v. 1. 2. 3. Dan. 9. v. 24. 26. Vel in specie & *περὶ γεγονότων*, quæ in passione cum Christo gesta sunt, demonstrant. De Judæ flagitio vaticinium extat Psal. 41. v. 10. Ps. 55. v. 14. & 15. Ps. 109. v. 2. 8. Confer Actor. 1. v. 20. De Judæ Christum vendentis pretio Zach. 11. v. 12. 13. De Apostolorum aufugio Ps. 88. v. 9. Zach. 13. v. 7. Confer Matth. 26. v. 31. De congregato adversus Christum Pharisaorum Concilio Ps. 2. v. 2. Ps. 22. v. 13. 17. De Christi in domo Pontificis ludibrio Es. 50. v. 6.

23. Falsorum testium contra Christum productionem exprimit David Ps. 35. v. 11. Ipsius flagellationem Es. c. 53. v. 5. Conspuisionem idem c. 50. v. 6. Eductionem & commiserationem Pilati, dicentis, Ecce homo, Esa. 53. v. 3. Crucifixionem Ps. 22. v. 18. Cum latronibus Es. 53. v. 12. Fellis cum aceto prohibitionem Ps. 69. v. 22. Vestium distributionem Psal. 22. v. 19. In cru-



In cruce illusionem Ps. 22. v. 8. 9. Pro hostibus orationem, Es.  
 53. v. 12. Animæ in tutelam Patris commendationem, Ps. 31. v.  
 6. Conf. Luc. 23. v. 46. Lateris apertionem Zach. 12. v. 10. Con-  
 fer Joh. 19. v. 37. Miraculorum insecutionem Joël. 2. vers. 10.  
 Amos 8. vers. 9. Exequiarum celebrationem Esa. 53. vers. 9.  
 De resurrectione & exaltatione Prophetiæ extant Gen. 3. vers. 15. *De resurrex-  
 tione.*  
 4. 8. v. 6. & seqq. 4. 16. v. 10. 11. Conf. Act. 2. v. 25. 26. & c. 13. v. 35.  
 Psal. 110. v. ult. Esa. 53. v. 8. cap. 25. v. 8. Ol. 13. v. 14. Mich. 2. v. 13.

24. Hactenus Prophetiæ & manifesta dicta: *Typi passio-  
 nis.*  
 per plurimi, inter illos verò eminent sacrificia Patriarcharum  
 & Israëlitarum, in quibus occisus fuit agnus ab origine mundi,  
 Heb. 7. v. 21. 22. 23. 24. 27. c. 9. v. 6. 7. 9. 12. 13. 14. Apoc. 13. vers. 8.  
 Agnus Paschalis Exod. 12. v. 6. 7. 46. Joh. 19. v. 36. 1. Cor. 5. v.  
 7. Serpens æneus Num. 21. v. 8. 9. Johan. 3. v. 14. Hircus emis-  
 sarius, & peccatis populi onustus Lev. 16. v. 10. 21. 22. Joh. 1. v.  
 29. Addi possunt Historiæ, Isaac ad victimam abducti, & lignis  
 onerati, Gen. 22. v. 6. Heb. 11. v. 19. Josephi à fratribus venditi,  
 ligati, in foveam conjecti, & demum exaltati Gen. 37. vers. 39.  
 & seqq. Vaccæ ruffæ Num. 19. Hebr. 13. v. 12. Aaronis, Deum  
 populo in medio vivorum & mortuorum propitiantis Num.  
 16. v. 47. Jonæ triduo à balana capti Jon. 2. vers. 1. Matth. 12.  
 vers. 40.

25. Resurrectionis typi sunt: Adamus ex somno re- *Typi resurre-  
 xtionis.*  
 surgens, Gen. 2. v. 22. 23. Isaac ex immolatione vivus & salvus  
 rediens Genes. 22. v. 12. Josephus regni sceptrum capiens Gen. 41.  
 v. 40. Virga Aaronis florens, Num. 17. v. 8. Daniel ex fo-  
 vea leonum revertens Dan. 6. v. 22. Simson noctu surgens,  
 & portas Gazæ asportans Jud. 16. vers. 2. 3. David Goliathum  
 vincens 1. Sam. 17. v. 49. Populus Israël ex Ægypti servitute  
 Mosis ope exiens Exod. 12. Præferim v. Jonas post triduum ex  
 balana sepultura resurgens Jon. 2. v. 11.

26. Hæc de Prophetarum testimonio, à Chri-  
 sto Jesu hic allegato. IV. Prædictio passionis constat *Vario pas-  
 sionis modo: quem Apostolis in tabella quasi depingit, & clarif-  
 icat. 4. Passionis  
 modus.*  
 sime exponit. Ad duo autem hic rursus attendendum 1. ad af-  
 fligentes, *Affligentes,*  
 2. ad afflictionem ipsam. Affligentes, seu à quibus ipse  
 passurus sit, Christus enumerat 1. Sacerdotes & Scribas, qui-  
 bus sit



*Afflictio.*

bus sit tradendus. 2. Gentes, puta Pilatum Præsidem cum exercitu ipsius, à quo sit ad mortem condemnandus. Afflictionem addit, dum mentionem facit 1. *Traditionis*, παραδοθήσεται. Variæ traditionis Christi in historia passionis fit mentio: Traditus n. est à Juda Sacerdotibus & Senioribus; à Sacerdotibus Pilato; à Pilato militibus: sed nec Judas, nec Sacerdotes, nec Pilatus eum tradere potuissent, si fuisset absque illa traditione, cujus meminit Paulus Rom. 8. v. 32. *Deus proprio Filio non pepercit, sed p nobis omnib. tradidit illum.* Et Gal. 2. v. 20. *Christus dilexit me, & tradidit semetipsum pro me.* Hoc loco vel de ultima traditione Christus loquitur, perinde ut Matth. 26. vers. 45. Act. 2. v. 23. vel, quod commodius videtur, de prima, qua Judas ipsum precio 30. argenteor. Sacerdotibus vendidit & tradidit. Ejus igitur autorem hoc loco reticet, ne animum prophanum Judæ irritasse videretur, & reservat hoc in ultimam cœnam. 2. *Condemnationis*, καὶ κατακρινέσιν αὐτὸν θανάτῳ, scilicet Sacerdotes & Scribæ, id quod tùm factum est, quando in atrio Caiphæ Pontificis una voce clamaverunt: *Reus est mortis.* 3. *Illusionis & convitiationis*, εἰς τὸ ἐμπαιξάαι. 4. *Variæ contusionis*, ὕβρις θήσεται, apud Lucam, quod vulg. reddit, flagellabitur, quasi esset *μαστυώσεται*. Dicitur autem ὕβρις (annotante Beza) omnis major improbitas ac flagitium per impotentiam perpetratum. Itaque non tantùm ad id pertinet, quod flagellatus est Dominus, sed etiam quod colaphis & bacillis cæsus est.) 5. *Flagellationis*, *μαστυώσαντες αὐτὸν &c.* 6. *Conspuisionis* (apud Marcum & Lucã.) 7. *Tandem mortis & crucifixionis.* Hoc enim mortis genus crudele & horrendum in ignominiam Christi & omnium ipsius sectatorum præ aliis à Pilato efflagitarunt Judæi. De his verò omnibus in ipsa amaræ passionis Dominicæ historia ex professo tractatur, ut plura hic addere, neque propositi nostri sit, neque pagellarum angustia.

*2. De resurrectionis gloria.*

27. Hactenus Passionis miseria: propter quam ne planè actum fore de Christo, mœsta discipulorum corda cogitare possent, concionis acerbiter jucunda de resurrectione sua commemoratione mitigat: καὶ τῇ τρίτῃ ἡμέρᾳ, *ἀναστή-*



ἀναστήσεται. Καὶ particula, pro adversativa SED, hic com-  
modius accipitur, q. d. acerba quidem duraq; hæc erunt : Sed  
constantes estote, durate non amplius quàm triduum unum,  
tùm enim rerum scena mutabitur, & omnia in lætam exhibunt  
Catastrophen. Respondet enim ista particula sæpè Hebræo-  
rum præfixæ literæ, quæ non rarò pro **וְ** veruntamen, sed  
&c. ponitur. Ex multis sufficiat locus Genes. 42. vers. 10.  
Αναστήσεται (subintellige ἐκ νεκρῶν) resurget vel exsurget (ex  
mortuis.) Est enim verbum dispositionis mediæ, qualia ple-  
runque, imò ferè semper activam obtinent significationem.  
Et sic ipsi Christo potestas ponendi & sumendi animam suam,  
ceu Joh. 10. v. 18. hoc verbo assignatur.

V. Membr.  
Quo cum  
profectu  
doceat?

28. Restat quintum prioris partis membrum, quo cum  
profectu Christus de passione sua docuerit. Ad illud verò ex-  
pedita Evangelistæ Lucæ responsio est, quod planè nullo. Ità  
enim ille: καὶ αὐτοὶ ἔδεν τετῶν συνήκαν, καὶ ἦν τὸ ῥῆμα τετὸ κε-  
κρυμμένον ἀπ' αὐτῶν, καὶ ἐκ ἐγίνωσκον τὰ λεγόμενα. Terna  
repetitio ejusdem discipulorum ignorantiaë diversis verbis  
non caret emphasi. Hinc Chrysostom. hom. 66. in Matth.  
Diversis verbis ter idem dicit, ut ostendat quomodo affectus impediatur in-  
tellectum. Res verò admiratione digna, quod discipuli nihil ho-  
rum intelligant, cum tamen non prima sed vel quinta vel sexta  
etiam vice de eadem re Christum audiverint concionantem.  
Ad hæc omnia tam fuerunt perspicua & plana, ut puer septen-  
nis capere potuisset. Omnino n. sciebant, quinam essent Pon-  
tifices & Scribæ : sciebant etiam, quis esset Filius hominis, nec  
latere ipsos poterat, quid esse illudi, condemnari, flagellari, cru-  
cifigi. Hæc igitur cum tum plana omnia fuerint, unde ingens  
illa in cordibus ipsorum ignorantia & obscuritas?

29. Non penitus ipsis incognitum fuisse verborum  
Christi sensum, colligitur ex Matth. 17. vers. 23. Ibi enim post  
Christi de passione & resurrectione sua habitum sermonem  
dicuntur Apostoli contristati vehementer. Si igitur dolore  
fuerunt affecti, certè sensus sermonis istius non fuerunt inscii.  
Ignoti enim ut nulla cupido, ita de illo nullus dolor. Et si  
hoc, certè de totali & omnimoda obscuritate tum verba Luc

De ignoran-  
tia & stu-  
pore disci-  
pulorum?



9. v. 44. (ad evitandam contrarietatis notam) tūc hęc nota-  
stra Luc. 18. nō debent accipi. Quidam igitur inter discipulos  
distinctionem faciunt, quorum aliquos probè intellexisse di-  
cunt verba Christi, & hos apud Matth. cap. 17. dici contrista-  
tos; alios verò non intellexisse, existimantes eum loqui in  
parabolis. Quidam (inter quos Beda in h. l. Lyranus, Car-  
thus. Cajetanus, Hugo Card.) obscuritatem hanc exinde pro-  
venisse putant, quod illi omnes existimarint, Magistrum, ut  
sæpè solebat, parabolicè loqui. Verùm diversam ab hac opi-  
nionē probat mœror in discipulorum animis conceptus,  
Matth. 17. Et Petri Christum ob eum sermonem increpans  
locutio Matth. 16. v. 21. Chrysost. hom. 66. in Matth. & alii  
dicunt intellexisse discipulos sermonem de passione & morte  
Domini, (licet non exactè) sermonem verò de resurrectione  
ipsis fuisse tam obscurum. Sed refragantur verba & de resurrectione  
illi nihil horum (scilicet de quibus dixerat Christus, inter  
quæ haud postremum erat resurrectionis gloria) intellexerunt.  
Obstat etiam Lucas c. 9. v. 44. ubi solius passionis fit mentio,  
quam tamen ignorasse discipuli dicuntur.

30. Dicendum cum Jansenio Har. c. 69. p. 521. & aliis,  
discipulos, quia tam apertè & frequenter audiebant Dominum  
mortem suam prædicentem, putasse quidem ita omnino futu-  
rum, & ob id contristatos fuisse: ignorasse verò, quomodo  
is, quem non dubitabant esse Christum, quem gloriosè  
regnaturum expectabant, talia passurus esset, & quam ob cau-  
sam mortem esset subiturus, cum eam effugere posset. Fiet  
hoc manifestius, si vana & suavia ipsorum somnia ad mentem  
revochemus, quæ de mundano & carnali Messia regno, & de  
politica illustriq̃ & splendida ejusdem administratione so-  
mniabant: Cujus rei specimen in historia filiorum Zebedæi,  
hanc prædictionem passionis Christi apud Matth. & Marcum  
subsecuta videre est. Barrad. lib. 6. Harm. c. 9. Discipuli verbo-  
rum Christi ederunt corticem amarum, sed ad dulcem nucleum non per-  
venerunt. Intellexerunt verba Christi, & non intellexerunt. Intellexe-  
runt quidem verba significare amarum mortem & crucem: sed non intel-  
lexerunt passionis dulce mysterium, utilitatem & causam. Et hæc de  
priori Evangelii parte dicta sufficiant.

PARS



PARS POSTERIOR.

De CHRISTO cœci Medico.

31. Hactenus Christum de merito & passione sua do- *Transitus*  
centem audivimus: succedit jam idem in secunda hac parte ut  
potens ad salvandum Esa. 63. v. 1. dum cœco cui-  
dam secus viam mendicanti visum ab ipso donari videmus.  
Connexio ad præcedentia à Greg. in hom. talis affertur: *Quia*  
*caruales adhuc discipuli non volebant capere verba mysterii, venit ad*  
*miraculum: ante eorum oculos cœcus lumen recipit: ut eos ad fidem,*  
*cœlestia facta solidarent.* Sed hæc allegorica sunt. Nos in ipso  
textu tum præviam loci temporisq; circumstantiarum enarratio- *Altera pars*  
nem: tum ipsius miraculi cum suis actibus descriptionem videbimus, *tis subdivi-*  
*sio.*

32. **LOCUS** miraculi hujus editi indigitatur vicinia *Locus.*  
Jericho civitatis Galilææ: Illam enim Dominus Jesus, recto  
itinere & regia viâ ex Peræa per Bethaboram (ubi erat traje-  
ctus Jordanis) Hierosolymam cum suis contendens transire  
cogebatur. De nomine ipsius *יריחו* dubium est, an à *יריחו*  
quod Lunam denotat, deriveretur, idque à Lunæ nascentis for-  
ma, qua planiciem istam præditam fuisse quidam dicunt: qua  
in sententia est Augustin. libr. 2. quæst. Evang. c. 48. an à *יריחו*  
quod odorem significat (ut *י* formativa litera sit propriorum  
nominum) cum à balsami præstantissimi proventu & suavif-  
simo odore, vel rosarum etiam ibi succrescentium suaveo-  
lencia (de quibus consulatur Adrichomius in theatro terræ  
sanctæ p. 17. §. 63.) ista regio fuerit celeberrima Deut. 34. v. 3.  
*יריחו* urbs palmarum dicitur, à quarum viridariis  
non minus nobilis erat. Sita erat in tribu Benjamin, 150. sta-  
diis ab Hierosolyma, à Jordane v. 60. distans, ut Josepho pla-  
cet libr. 5. de bell. Jud. cap. 4. Quomodo ista civitas à Josua  
funditus destructa, quomodo ab Hiele Bethelita quodam re-  
parata, & quæ huic exinde filiorum jactura ob maledictio-  
nem Josuæ enata sit, legatur Jos. cap. 6. præsertim vers. 26. &  
1. Reg. 16. v. 34. Tempore obsidionis Hierosolymitanæ de-  
structa iterum est à Vespasiano: & restaurata postmodum  
ab Adriano, quæ tertia est, & tempore Hieronymi perdurabat,  
tradente



tradente ipso tom. 9. c. 7. Saligniacus (referente Adrich. d. l.) unam suo tempore turrim superfuisset narrat. Breidenbach, vix 8. domos & villæ vestigia, monumentis sacrorum penitus deletis.

*Tempus.*

*Discrepan-  
tia Evan-  
gelistarum.*

33. *Tempus* miraculi à Luca insinuatur, dum factum illud esse ait, cum Jesus appropinquaret Jericho. Hic verò apud reliquos præced. Evangelistas magna occurrit diversitas. Etsi enim in omnibus tribus Evangelistis una eademque historia videatur describi, quod circumstantiarum reliquarum convenientia ostendit, discrepantia tamen occurrit, eaque duplex:  
1. *Temporis*: Cæcus apud Lucam à Christo sanatus dicitur, priusquam Jericho urbem ingrederetur. Matthæus verò cap. 20. v. 30. & Marcus cap. 10. v. 46. post discessum & egressum Jesu ex Jericho suos, quos memorant, cæcos sanatos esse dicunt.  
2. *Numeri*: Lucas unius cæci facit mentionem, ut & Marcus d. l. Matthæus verò duorum. Hæc igitur quomodo concilianda?

*Sententia  
de illa.*

34. R. Variæ variorum hac de re sunt sententiæ, quibusdam in unam eandemque historiam omnes tres coarctantibus; quibusdam pro tribus diversis à tribus Evangelistis descriptis eas habentibus: quibusdam verò mediam ingredientibus viam. Priorum in numero Ambrosius est, qui libr. 8. in Luc. in conciliandis hisce mysterium quærens, ita inquit: *In libro secundum Matthæum, duo cæci introducuntur, hic unus: ibi egrediente Jericho, hic appropinquante: sed nulla distantia. Nam cum in hoc uno typus populi gentilis sit, qui Sacramento Dominico recepit amissionem luminis claritatem, nihil interest, utrum in uno medicinam, an in duobus accipiat, quoniam ex Cham & Japhet Noë filii originem ducentes in duobus cæcis duos generis sui prætendebat autores. Hinc referendus quoque Franc. Lucas Brugensis, cum Calvino in Harmon. h. l. qui discrepantiam ita conciliant, cæcum hunc juxta eam viam sedisse & clamasse, qua Jesus Hierichuntem pergebat: cum autem illic præ turbæ strepitu, Jesuque dissi- mulante non esset auditus, die altero viam similiter obsedis- se in urbis egressu, & tunc demum à Jesu vocatum sanatumque fuisse. Verisimile n. esse, ut sæpè Christus fidem hominum probare volens*



volens, eos aliquantisper distulerit, eodemque examine in hoc cæco fuisse usum.

35. Eidem numero accensendus quoque Lyranus cum quibusdam aliis ( quorum meminit August. libr. 2. quæst. Evangel. cap. 48. ) is verò conciliationem inter Triada Evangelistarum quærit in vocula  $\sigma\gamma\gamma\iota\zeta\delta\nu$  ( quæ apud Lucam extat ) quam ita explicat: *Cum appropinquaret Jesus Jericho, h. e. propè Jericho adhuc existeret: quia secundum veritatem non accedebat ad Jericho, sed inde recedebat, ut patet Matth. 20. Marc. 10.* Sed hanc conciliandi rationem partim coacta hujus vocabuli detorsio, cum propriè & semper motum ad locum, non verò de loco denoret; partim caput sequens v. 1. refellit: Et ingressus Jesus perambulabat Jericho. Præcedentia igitur propter textus coherentiam ante istum ingressum urbis gesta fuisse necessum est.

36. Alterum agmen, quod historias planè segregat, easque pro diversis tribus habet, Andreas Osiander ducit, in Harmonia sua Evangel. qui diversitatem inter historiam à Matthæo & Marco descriptam ( de Lucæ enim diversitate certum est, cum circumstantia temporis variet ) ita colligit, quod Bartimæus ( quem Marcus nominat ) in urbe Jericho aut certè ad portam urbis sanatus fuerit: duo autem isti alii ( quorum Matthæus meminit ) in medio itinere inter Jericho & Bethaniam confidentes fuerint sanati. Fundamentum hujus suæ divisionis in vocibus quærit. Apud Marcum enim habetur vox  $\sigma\tau\epsilon\pi\epsilon\upsilon\sigma\mu\epsilon\upsilon\varsigma\ \epsilon\upsilon\upsilon\tau\epsilon\varsigma$ , & sequitur,  $\kappa\alpha\iota\ \alpha\upsilon\delta\iota\sigma\tau\omega\upsilon\varsigma\ \sigma\tau\iota\ \mu\alpha\tau\theta\alpha\iota\ \delta\epsilon\ \nu\alpha\zeta\omega\gamma\alpha\iota\ \epsilon\gamma\gamma\iota\zeta\delta\nu$  &c. unde colligit, Bartimæum audivisse strepitum jam egredientis ex urbe. Matthæus v. habet verbum  $\alpha\epsilon\sigma\tau\epsilon\upsilon\gamma\epsilon\iota$ , audisse scilicet cæcos illos Jesum prætereuntem ( non v. jam ex urbe egredientem ) Verùm labili hæc nituntur fundamento, & per se facile corruunt, ut patet.

37. Aliam adhuc viam Salmeron hîc ingreditur, qui Tom. 6. tract. 46. *Non improbabile ( inquit ) videri potest, quod si cæcus ( de quo Luc. 18. agitur ) diversus sit ab eo, cujus meminit Marcus, Matthæus utrumque simul sit complexus, simul narrare volens & eum, qui ante egressum, & eum, qui post egressum est sanatus: quod utriusque*  
C curatio



curatio omnino similiter, & circa eundem locum fit facta. Hæc ille quem sequitur Theodor. in Anal. hujus Evangelii observ. 1.  
38. Inter has conciliationū vias *media* & *tertia* illa tutissima est, qua cum Augustin. libr. 2. de conf. cap. 65. & libr. 20. quæst. Evang. cap. 48. à Matthæo & Marco unam eandemque historiam, à Luca verò h. l. diversam describi statuitur: fundamento eo suffulto, quod circumstantia illa temporis facile alias conciliari non possit. Et quis non credat, (verba sunt Dn. Polycarpi Lyseri in Harm. c. 136.) Christo in tam populosa regione, & in tanta multitudine egrorum sæpenumero occasionem præbitam fuisse, idem miraculum eodem modo in diversis & propinquis locis edendi.

39. Neque altera circumstantia de numero cæcorum obtare potest, quò minus inter Matthæum & Marcum convenire possit. Ille enim duorum, hic verò unius tantum, ea ratione mentionem facit, quâ Matthæus cap. 8. v. 28. duos Dæmoniacos in regione Gergesenorum à Christo sanatos asserit: Marcus verò cap. 5. v. 2. & Lucas cap. 8. v. 27. de uno duntaxat referunt: quia unus scilicet fuit immanior altero. Nam duorum etiam cæcorum (loquitur Augustin. d. l.) quos Matthæus ponit unum fuisse notissimum & in illa civitate famosissimum, ex hoc etiam satis apparet, quod & nomen ejus, & Patris ejus Marcus commemoravit. Et mox proculdubio, inquit, Bartimæus iste Timæi filius ex aliqua magna felicitate dejectus, notissima & famosissima miseria fuit &c.

40. In diversa illa sanatione cæcorum, Christo ingrediente & egrediente facta, mysterium & allegoriam quærit idem D. Augustin. d. l. quam lubet huc adscribere: Non factum hoc, inquit, sine Sacramento. Si enim Hiericho Lunam, & ob hoc mortalitatem interpretatur, morti propinquans Dominus Judæis solis lumen Evangelicum jusserat prædicari, & significavit ille unus cæcus, quem Lucas commemorat: à morte a. resurgens atq; discedens, & Judæis & gentibus, quos duos populos significare videntur duo cæci commemorati à Matthæo.

41. Hæc de loco & tempore editi à Christo miraculi. In ipso miraculo diversæ porro personæ, quarum in textu mentio habetur, earumque diversæ operationes attendendæ veniunt. 1. Cæcus. 2. Populus. 3. Christus est. Cæci consideranda.

*in legiois.*

*Augustini allegoria.*

*In miraculo occurrunt.*

*1. Cæcus  
Ejus conditio.*



siderandam habemus tūm *conditionē* tūm *actionē*. *Conditio* ejus fuit, mendicata stipe sese sustentare. Sic enim Lucas: *τυφλὸς τις ἐκείνητο παρὰ τὴν ὁδὸν προσαιτῶν*. Miretur aliquis, unde in populo Judaico mendici fuerint, cum divina lege cautum esset, ne omninò indigens & mendicus esset in Israël, Deut. 15. vers. 4. in eum etiam finem pars decimarum pauperibus destinata esset, quæ alendis & conservandis omnibus sufficere possit. Verū mirum hoc haud videatur, cum tempore Christi Sacerdotes Dei præcepta securè violarent & negligenter; Pharisei autem domos viduarum devorarent, cujus injustitiæ passim à Christo arguuntur rei, præsertim Matth. 23. v. 14. Hinc factum ut passim ad vias sederent, qui à prætereuntibus stipem & sustentationem emendicarent: qualis hic noster etiam fuit.

42. *Actio* mendicantis cæci describitur varia. 1. *Prætereuntes interrogat*. Cum enim ex murmure vocum & pedum strepitu intelligeret, magnam aliquam hominum multitudinem prætereire, interrogabat, quid hoc esset? Sunt enim cæci eò, quod oculis careant, in inquirendo curiosi, ut intelligant ex aliis, quod ipsi videre non possunt.

43. In mentione horum prætereuntium, & interrogatione cæci ad ipsos facta allegoriam quærit Costerus: *Sicut cæcus, inquit, præeuntem turbam quæsit: sic Laici quærant Ecclesiasticos, qui in processibus venerabile sacramentum præcedunt, ceu nobiliores in processione Ecclesiæ ad cælum*. part. 2. conc. p. 641. Mirabilis comparatio, quæ Laici cæco, Clericorum autem rara cohors videnti populo conferuntur, scilicet juxta effatum illud Christi Johan. 9. v. ult. Verendum autem ne multi hujusmodi præcessores & nobiliores in processione Ecclesiæ ad cælum, sint in eorum censu, de quibus idem Christus, *Primerunt novissimi* Matth. 20. v. 16. *Multi dicent, Domine, Domine, sed ego respondebo, non novi vos*, Matth. 7. v. 22. Et sanè videtur propheta Costerus inscius, ut Caiphas: sicut enim turba hæc præcedens (ut mox sequetur) id egit, ut avertere cæcum à Christo posset: ita etiam Ecclesiastici in Papatu à Christo abducunt omnes, qui suæ salutis serio sensu tanguntur, & omne

Et

*Actio*  
1. *Prætereuntes interrogat,*





refugium ad meritum Christi, exclusis propriis, unice quaerunt. Licet igitur quaerere Ecclesiasticos & sinceros verbi ministros, ita tamen, ut principaliter quaeras Deum, & verbum eius, hoc est, nec Pastorem, nec Angelum de caelo audias, nisi ex Scriptura respondeat Galat. 1. vers. 8. 2. Petri 1. vers. 19. Johan. 5. v. 39.

2. *Jesum  
inclamat.*

44. II. *Jesum inclamat & adorat.* Dixerunt illi, scilicet aliqui ex turba, quod Jesus Nazarenus transiret: quo audito ipse protinus relictis reliquis omnibus, a quibus satis amplam eleemosynam sperare poterat, voce sua & petitione ad unicum Jesum se convertit, clamans: Jesu Fili David, miserere mei. Digna oratio, cujus tum *causa*, tum *formula* paulo exactius con-

*Causa pre-  
cum ipsius.*

fideretur. *Causa* fuit vera & salvifica fides, ex cujus interno lumine, licet externo oculorum lumine privatus, verum mundi lumen caecos illuminans agnoscit. Quod fidei lumen non solum fervide orationis radii egredientes, sed ipsum quoque luminare mundi, Christus Jesus infra manifesto lumini exponit, in-  
quiens: Fides tua te salvum fecit. Sine dubio igitur in Synagoga ex Esa. 35. v. 5. caecus hic audivit, quod quando Messias Filius David advenerit, oculi caecorum sint aperiendi. Audi-  
vit etiam ex communi fama, hunc Jesum Nazarenum aliis cae-

*E*

cis visum restituisse. (Ita scilicet ἡ πίστις ἐν τῷ ἀκούῃ, καὶ ἡ ἀκοὴ ἀπὸ τῆς φωνῆς τοῦ Ἰησοῦ, Rom. 10. v. 17.) Conclusio igitur ipsi in promptu & plano esse poterat, hunc Jesum verum esse Messiam a Prophetis hac nota indigitatum & predictum. Con-  
cepta igitur ex vi S. S. magna fiducia ad ipsum clamat, ejus misericordiam implorat, nequicquam dubitans, se etiam instar aliorum divini hujus beneficii ab ipso fore participem.

*Formula  
orationis  
ejus.*

45. *Formula* precatationis ipsius plena fiducia, & myste-  
riis satis referta est. Christum enim tum quoad personam, tum quoad officium nervosissime describit. Quoad personam, confi-  
tetur eum Deum & hominem. *Deum*, dum dicit, miserere mei, solius enim Dei proprium opus est, hominum miserie misereri, & ipsis subvenire. *Convenit illud miserere mei* (inquit Jansenius in Harm. cap. 105.) *optimè divinitati Christi, cui ut alicujus subveniat miserie, nihil aliud opus est, quam ut ejus misereatur, cum plerique hominum nequeant subvenire ei, cui misereantur.* Homi-  
nem



nem ipsum confiteretur, dum vocat Filium David, qui ex Davidis profapia juxta promissionem 2. Sam. 7. v. 17. Isa. 11. vers. 1. Jer. 23. v. 5. natus esset. *Quoad officium*, fatetur ipsū esse promissum Messiam, & mundi Salvatorem. *Illud*, quando Filium David appellat. Neque enim ob id tantum hoc nomine utitur (quemadmodum quidam volunt) ut blandimento quodam Dominum magis commoveret, quia scilicet honorificū erat esse ex regio semine David: sed ob id potius, quod crederet eum esse Messiam, qui expectatus fuit ex semine David. Alioquin, quomodo vel hic cæcus, vel alii similes ita scivissent, eum, qui Galilæus & Nazaræus dicebatur, natum esse ex semine David, nisi quia certò crediderunt esse Messiam, quem sciebant fore Filium David. Itaque cum alii renunciarent, Jesum Nazarenum transire, ipse magnificentius de eo sentiens. Jesum Filium David nominat, ut pulcerrimè loquitur Jansen. d. 1. *Hoc dum Jesum nominat, hoc est, Salvatorem & redemptorem, qui homines salvare possit & velit ex omnibus malis in quæ per lapsum Adæ inciderunt. Ita videmus, hunc cæcum ex interna Spiritus sancti revelatione plus de Jesu Christo spiritualiter vidisse, quam omnes Pharisei, qui sibi oculissimi & perspicacissimi videbantur Joh. 9. v. 40*

3. *Increpationes non curat.*

46. III. Actio cæci est, quod *increpationes pretereuntium* negligit. Cum enim pretereuntes illum increparent, ut taceret, illa nihil pensi hæc habet, sed ut ignis oleo, sic interminatione illa clamor ipsius & ardor fidei incenditur & intenditur. Non licebat ipsi videre Jesum, nec sciebat, quam procul à se abesset, ideò intensione vocis majori opus esse putat, ne obstrepentes turbæ voces suum clamorem impediunt. Neque ipsum spes vana elusit, ut mox audiemus.

47. Hacenus persona cæci. Secundò sese offert Populus ejusque increpatio. Καὶ ὁ πρὸ αὐτῶν ἐπιτιμῶν αὐτῶν ἰνα σιωπήσῃ. Putabant forsan, ipsum vulgarem à Jesu petiturum eleemosynam, quales Dominus elargiri etiam solitus fuit ex illis, quæ sibi ab aliis communicabantur: indignum autem judicabant, virum tantum iter facientem sibi mendici causa: metuebant etiam, ne Dominus importunitate clamoris offenderetur, & à doctrinæ prædicatione quiescere



quiescere cogeretur. Hic verò molitiones Satanæ ad animum revocandæ, quibus in subruenda & evertenda fide credentium utitur. Exterius hic prætereuntes ad silentium cæco clamanti imponendum instigat: Interius non dubium est, quin in corde ejus malarum cogitationum autor extiterit, & calorem istum fidei ardoremque precum excutere quovis modo attentaverit. Verùm per hæc remoras forti fide ille perumpit, & majori, quàm antea, voce clamat, ut paulò ante dictum.

III. Christi.  
Præparatoria miracula.  
1. gradum sedit.

48. Tandem ipse Christus cum miraculo suo confiderandus venit. In quo tùm præparatoria quedam, tùm ipsum sanationis miraculum. Præparatoria sanationem præcedentia in quibusdam Christi actionibus consistunt. 1. enim gradum sedit. Hactenus aliquoties clamoris perceptionem dissimularat, tùm ne videretur cupidus edendi miracula causâ ostentationis; tùm ut evidentiosem redderet cæci fiduciam, nosque doceret, perseverantia in fide & oratione apud ipsum opus esse, si gratæ suæ opis & suppetiarum velimus fieri compotes. Tandem verò ut Josua Jos. 10. v. 13. olim non procul à Jericho solem in medio cæli stantem fecit, donec ultionem sumeret ab hostibus populi Dei; ita etiam hic cæcus Solem justitiæ, Christum Jesum stantem suo clamore fiduciali fecit.

2. Adduci illum jubet.

49 2. Adduci ipsum jubet. Ut scilicet, qui prius fide eum tetigerat, appropinquaret etiam corpore, quæ verba sunt Chrysostomi. Poruisset sanè verbo etiam non adducti oculos aperire, sed coràm & in conspectu omnium præstare id mavult. 1. ut omnes viæ comites ad ejus considerationem & admirationem excitentur. 2. ne quis fraudem quandam in hoc cæco subesse suspiceretur, ut in quibusdam aliis, qui ut tantò plus mendicando impetrare possint, cæcitatem fingunt. 3. ne calumniatores veritatis Judæi possent dicere, ut in cæco nato: non est hic, sed similis ei Johan. 9. v. 9. voluit ut cæcus prius ostenderet defectum naturæ, & tunc cognosceret gratiæ majestatem, quæ est ratio Chrysost. annotante Thoma in cat. aur. h. l. Et sic 4. ut miraculum esset illustrius, & ad notificandum Messiam accommodatius.

50. 3. Addu.



§ 0. 3. *Adductum* interrogat, quid vis ut faciam tibi? In 3. *Adductum* interrogat. interrogat autem non ut ignarus, ipsum visus donationem petere, sed 1. ad declinandam calumniam, ne quis dicere posset, Jesum pro stipe ostentationis causa cæco visum restituisse. 2. ad notam faciendam cæci tùm fidem, tùm seriam petitionis intentionem, cum generalis compellatio, miserere mei, à vulgo etiam de eleemosynæ erogatione potuisset accipi. Et 3. ad attentionem miraculo apud populum conciliandam.

§ 1. Huic Medici interrogationi patientis responsio *Responsio cæci.* subjicitur: *Domine ut visum accipiam*, q. d. non expeto mihi stipem aliam præter restitutionem visus: ab aliis alia possum expectare, à Te, Domine, quem Messiam atque Jesum esse agnosco, non nisi divinæ majestati decentia expeto. Restitue visum, quo accepto possim ipse deinceps labore manuum mearum victum mihi quærere, neque opus sit mendicando amplius gravare alios. In Græco est *ἵνα ἀναβλέψω*. Hinc quidam ex compositione particulae *ἀνὰ* quæ iterationem indicat, correspondente præpositioni inseparabili R E, putant, quod cæcus hic non cæcus natus, sed ex accidente vel morbo aliquo cæcus factus fuerit. Et sic ille non visus concessionem, quem nunquam habuerit, sed receptionem & restitutionem efflagitasset. Verum ex hac vocula id, quod diximus, sumi vel probari non potest. Significat enim *ἀναβλέψω* non solum rursum cernere, vel visum recuperare; sed etiam, & quidem magis propriè suspicere, sursum aspicere, oculos sursum attollere, ut sit quasi *ἀνω βλέψω*. Cujus significationis exempla tùm in Sacris sunt, præsertim Luc. 19. v. 5. & Joh. 9. v. 11. & 18. ubi de cæco illo nato, & à Christo sanato usurpatur, de quo tamen dici non potest, quod visum recuperarit, quippe cum illum nunquam antea habuerit: tùm in profanis autoribus: Xenoph. pæd. 6. *ἀναβλέψας εἰς τὸν ἄρατον, ἐπέυξατο* &c. Et in aliis.

§ 2. Hactenus fuerunt præparatoria miraculi: succedit *Miraculum ipsum.* ipsum, quod solo omnipotenti suo verbo Christus efficit, in-  
quiens, *ἀνάβλεψον*, suspice, vel visum tibi accipito & habeto.  
Addens



Addens simul usitatum illud fidei elogium: *Fides tua te salvum reddidit.* Quo ipso 1. exemplum humilitatis præbet, quod non ex arrogantia sibi, sed potius ex humilitate alienæ fidei vim sanationis adscribit. 2. simul nobis fidei virtutem commendat, ut eam imitemur, si spiritualem sanitatem, omniumque beneficiorum largitionem ab ipso consequi in mundi hoc nosocomio cupiamus.

*Miraculi  
eventus.*

*In sanato  
cæco.*

53. Hucusque miraculum à Christo in cæco editum vidimus. Restat tandem subjiciendus *Miraculi eventus & effectus*, quid nimirum apud homines eò effectum sit, & quid in illis fuerit subsecutum. Narrantur breviter duo, alterum in sanato homine, alterum in vidente plebe. Ille recepto visu, non redit ad sedem mendicitatis suæ, sed ut antea in petendo beneficio fidei suæ magnitudinem & constantiam monstravit, ita nunc post acceptum beneficium gratitudinem suam declarat. Dicitur enim de ipso, quod Jesum secutus fuerit. Id quod grati animi erat, spectaculum sc. & monumentum hoc misericordiae & potentiae Christi in corpore suo secum quasi circumferre, & omnium hominum visui & attentioni exponere. Ambrosius lib. 8. in Luc. *Sequebatur eum: aliter enim non videret, nisi sequeretur Christum, nisi Dominum predicaret, & nisi seculum præteriret.* 2. Quod magnificaverit Deum. Non fidem suam, quam adeo commendaverat Jesus, sed Deum ipsum *δοξάζει* seu magnificat, à cuius gratia, impetrante Jesu, tantum beneficium profectum agnoscebat.

*In spectante  
populo.*

54. In vidente plebe non minus secuta laus & celebratio gloriæ divinae ab Evangelista prædicatur: *Καὶ πᾶς ὁ λαὸς ἰδὼν, ἔδωκεν αἶνον τῷ Θεῷ.* Beza in annot. h. l. voculam αἶνον in oratione soluta dicit esse inusitatam, sumram hic pro ἔπαυον: Hinc in vetustissimo suo Codice legi *δοξάν*, asserit. Atqui (inquit linguarum peritissimus Drusus præter. libr. 3. p. 108.) Senes eâ usi sunt Ezra 3. v. 11. *ἐν αἶνον*, & Nehem. 11. vers. 17. ubi *לְהַלְלָהּ* legerunt pro *לְהַלְלָהּ* q̄ principium sonat, sed & Philo senior utitur, si modò is autor libri illius, Sap. 18. v. 9. & Syrad. 10. Eccl. 19. 9. Legitur etiã Matth. 21. v. 16. & 4. 8. v. 3 & alibi & c. Nos



Nos exinde solum Deum glorificandum esse propter auxilium  
& gratiam tum nobis prætitam, exemplo cæci: tum aliis ex-  
hibitam, exemplo populi, discimus. Et hic quidem subsistimus:  
sequitur

## QVÆSTIONUM EX TEXTU fluentium

SENARIUS.

### QVÆSTIO I.

Quis passionem tam acerbam susti-  
nerit?

Monemur tum temporis, tum Evangelii nostri commo-  
ditate, ut de Passione Salvatoris nostri Jesu Christi, in cujus  
cognitione cardo salutis nostræ, & summa Christianorum  
gloria vertitur 1. Cor. 2. v. 2. quædam consideranda propona-  
mus, Quæ tota doctrina cum ad hæc 4. membra reduci possit,  
ut dicatur 1. Quis. 2. Quid. 3. Cur. 4. Pro quibus passus sit? De  
prioribus duobus ex textu nostro jam breviter agemus, reli-  
qua alii temporis relinquentes. Ad propositam igitur quæ-  
tionem, *quis passus sit*, seu de persona patiente Scriptura sacra *Personæ pa-*  
disertè respondet, illum esse Christum Jesum in unâ persona *tiens.*  
Deum & hominem, uti videre est 1. Pet. 2. v. 21. Luc. 24. vers.  
26. Actor. 3. v. 18. & alibi. Eandem personam exprimit Sal- *Exprimitur in Ego*  
vator ipse in nostro Evangelio, quando de Filio hominis pas- *angelio.*  
sionem suam enunciat. Neque enim de humana tantum  
natura hac appellatione sermonem instituit, sed de tota per-  
sona quæ *Ἰησοῦς υἱὸς θεοῦ* est, & hic in concreto à natura huma-  
na denominatur. Hinc in Scripturis *ἰσοδυναμίας* dicitur,  
Christum pro nobis passum esse, Filium hominis pro nobis  
passum esse, ipsum denique Deum seu Filium Dei pro nobis  
passum esse. In omnibus enim tota persona nominatur, in  
1. ab utraque in 2. ab humana: in 3. à natura divina denomi-  
nationem sortiens. Christi seu totius personæ ubi mentio ha-  
beatur, in limine quæstionis dictum. *Filium hominis pas-*  
*sum esse.*

¶

sum esse.



Filium Dei  
verè pas-  
sum esse  
probatur.

sum esse, h. l. dicitur, & Matth. 20. v. 18. cap. 26. vers. 2. & videtur ἀδύνατον καὶ ἀτοπον, cum in Deum seu λόγον per se & per naturam nulla possit cadere passio) ex illis Scripturae testimoniis constat. 1. In quibus ipso passionis tempore Christus se talem esse profitetur, Matth. 26. v. 63. 64. Marc. 14. v. 62. Luc. 22. v. 70. & in cruce pendens talis fuisse perhibetur Matt. 27. v. 54. Marc. 15. v. 39. 2. In quibus ῥητῶς passio & mors Filio Dei tribuitur. Johan. 3. v. 16. Rom. 5. v. 10. c. 8. v. 32. Gal. 2. v. 20. Heb. 5. v. 8. 3. In quibus passio, crucifixio, sanguinis effusio, & mors dicuntur de Deo & Domino, tum simpliciter, Act. 20. v. 28. 1. Thess. 2. v. 15. Apoc. 11. v. 8. tum περιφρασι- κῶς Act. 3. v. 15. 1. Cor. 2. v. 8. 4. Patet idem ex nostro textu, in quo Filius quidem hominis, sed omniscius & omnipotens Filius hominis, id est, ipse æternus, consubstantialis & immortalis Dei Filius passionem subiturus dicitur. Omniscientia maiestatem futurorum tam exacta predictione: Omnipotentiam, ponendę & resumendę vitę potestatem sibi attribuendo (ter- tio die resurget) visumque cæco reddendo declaravit. Neq; tamen vel Christum secundum utramq; suã naturam vel Filiũ Dei secundum Deitatem suam passum & mortuum esse asserimus: In natura enim divina ἀναλλοίωτος est, ἀπαθής καὶ ἀθάνατος Mal. 3. v. 6. 1. Tim. 1. v. 17. c. 6. vers. 16. sed cum Scriptura dicendum, Christum esse passum σαρκί, carne 1. Per. 3. v. 18. cap. 4. v. 1. Eph. 2. v. 15. Col. 1. v. 22. Cum Leone 1. Epist. 10. ad Flav. in assumpta humane nature infirmitate. Hujus enim solius proprium est pati, crucifigi & mori. Qua confessione secessum facimus tum ab iis, qui in excessu, tum ab iis, qui in de- fectu hac in causa errant. Illorum in numero Eutyches est, qui veritus, ne personę unitatem dissolveret, confusionem na- turarum introduxit, & unam naturam divinitatis & carnis fin- gens, ipsam Deitatem portentosa opinione (ut loquuntur Concilii Chalcedonensis Patres) passam fuisse statuit. tom. 1. Concil. Colon. pag. 883. Augustin. de hæres. pag. 92. Hunc doluisse & passam esse, cum caro ejus figeretur in cruce. Aug. de

Secundum  
quam na-  
turam Chris-  
tus passus  
sit.

Αὐτίθεσις.  
Eutyches.

θεοπαχίται.



de hær. c. 73. Niceph. l. 15. cap. 28. Philastrius fol. 40. In de-  
fectu errat Nestorius cum recentioribus assēctis. Is enim per Nestorius.  
tinaciter negatum ibat, ipsum Deum, λόγον seu Filium Dei in  
carne passum & crucifixum esse, hinc impia illa vox: Noli glo-  
riari Judæ, non Deum, sed hominem crucifixisti. Quod absurdum  
dogma meritò ex Ecclesia Concilii Ephesini anathematismo  
12. profligatum & damnatum est. Hujus Nestorii sub vexillo Zwinglius.  
militant etiam Calviniani, Zwinglius cum quibusdam aliis.  
Quorum iste infelicis illius ἀλλοιώσεως autor est, per quam  
dicta Scripturæ de passione Filii Dei tantum ad humanitatem  
inflexit, & solam humanam naturam pro nobis passam esse asse-  
ruit. De qua Diaboli larva Lutherus consulatur in Confess. Alii Calvi-  
Maj. & in Form. Concord. p. 770. 771. Zwinglii vestigia pre-  
niant alii recentiores, qui scribere & docere non verentur i. so-  
lam humanam naturam in Christo esse passam, Apol. Anhalt.  
pag. 246. 247. II. Humanam naturam tantum passam esse,  
non totam personam. Herborn. Rudim. lib. 2. p. 100. III. Ef-  
se prædicationes verbales, figuratas & Synecdochicas, quan-  
do dicitur, Deus est passus, Dominus gloriæ crucifixus est,  
Deus suo sanguine redemit Ecclesiam. Beza volum. 1. Theol.  
tract. p. 624. & in Colloq. Mompelg. p. 213. & in Respons. ad  
acta ejusd. p. 183. Neostad. in Admon. p. 250. Ursinus in ex-  
plic. Catech. p. 293. 295. Pisc. in respons. adv. Elench. Busch.  
p. 153. & alii. Ab omnibus hisce tenebrarum Filiis separamur,  
dum non solum humanam naturam, sed totum Christum  
imò ipsum λόγον seu Filium Dei, (non tropicè, verbaliter &  
συνεκδοχικῶς, sed verè & realissimè) neque tamen secundum  
divinam naturam ἀπαθῆν, verum carne & humana natura, pas-  
sione & morti obnoxium fuisse dicimus ac docemus. De  
prioribus, quos in excessu peccasse diximus, multa dicere, illo-  
rumque monstruosam opinionem pluribus refutare supervaca-  
neam est. Nestorium ipsa Scriptura, Deum suo sanguine rede-  
misse Ecclesiam suam asserens, refutat. Nestorii sæctus & assēctas Examen-  
ita refellimus, ut sententiã ipsorum dicamus. i. Personam sententia  
θεοῦ divelli. Si enim passio duntaxat ad Filium homi- Calvinia-  
nis, seu hominem Deo unitum, vel ad solam humanam natu-  
ram,



ram restringatur, & ipsum Deum seu Filium Dei verè & realiter passum esse negetur; non video, quomodo una cum Nestorio persona non dividatur, & in eâ *ἀλλὰ ἡ φύσις αὐτῆς* constitutatur, cum omnia opera omnesque passionés non naturis, sed personæ tribuantur. *Persona enim ipsa est, quæ omnia illa agit & patitur, hoc quidem secundum hanc naturam, illud verò secundum alteram naturam*, ut loquitur Form. Concord. pag. 772.

2. Axioma illud verissimum convelli: Actiones & passionés sunt suppositi, h. e. personæ, & de persona tanquam subjecto agente & patiente non figuratè sed propriè enunciantur. Ita homo verè & propriè intelligit, licet hoc animæ tantum proprium sit, & anima quoque solâ non corpore intelligat. Scal. exerc. 307. sect. 36, Absolon verè & propriè est pulcher, est non anima sed solo corpore sit pulcher. Quia enim corpus & anima sunt una persona, ideò rectè & benè toti personæ tribuitur, quicquid vel corpori vel animæ, vel minimo etiâ membro corporis accidit, Luther. in Conf. Maj. Eodem modo verè & propriè (non verbaliter & figuratè) Filius Dei passus, crucifixus & mortuus esse dicitur, licet non in divinitate, sed in carne, seu in assumpta humanitate passus sit, quia in unâ persona verè & realiter Deus & homo est. 3. Lytri & sufficientiam & efficaciam funditè everti. Si enim non verè & realiter Deus pro nobis passus est & mortuus, & nuda humanitas pro nobis dicitur passa & mortua, nondum sufficienter erimus redempti, quia nudi hominis actio vel passio ad satisfaciendum pro peccatis totius generis humani nullatenus sufficit. Ipse Junius thes. 154. id fatetur, quando inquit: *Passio solius carnis, quantumvis justissimæ, pro se non satisfacere, pro aliis minus, pro toto mundo minimè potest.* Neque est, ut excipiant hoc loco Calviniani: si hæc propositio: sola humanitas in Christo est passa, non sit vera, sequi hinc, divinitatem etiam esse passam, quod tamen absurdum. Non inquam, metuendum hoc absurditatis periculum. Quamvis enim nec sola humanitas sit passa, neque etiam divinitas pati potuerit, interim tamen ipse Filius Dei pro nobis est passus secundum propriissimam suam carnem, ut ita passio non tribuatur naturæ sed personæ, secundum carnem.

Exceptio  
adversario-  
rum.

Et.



nem. Maximum enim est discrimen inter has duas propositiones: sola humanitas in Christo est passa, (quæ propositio cum passionem soli naturæ attribuat, Nestoriana est) & Christus secundum solam carnem est passus, quæ propositio vera & orthodoxa est, passionem non soli naturæ, sed personæ secundum humanitatem assignans.

Neque tamen hæc ita asserendo, divinam Christi naturam à passione omninò exulare jubemus. Licet enim ipsa non passa fuerit, nec pati potuerit, tamen & suas in ipsa passione peregisse partes orthodoxè asserimus: non solum sustentando carnem, ut præter externos corporis cruciatus immensum illud onus peccatorum nostrorum & infinitæ iræ divinæ sustinere potuerit, ne succumberet: sed in super præcium & pondus largiendo passioni, ut esset sufficientissimum λύτρον pro peccatis totius generis humani. Ut taceam, quod blasphemias, opprobriis & convitiis, quæ nominatim in ipsum Filium Dei à Judæis conjecta sunt, æterna ejus divinitas præcipuè petita fuerit, ut constat ex Johan. 10, v. 33. Matth. 26, v. 63. 65. cap. 27, v. 40. 43. Quantum igitur ad convitiatorum petulantiam pertinuit, divinitate sua passus esset, si pati posset: Impossibilis autem est & manet, ut Deus, ut loquitur Cyrillus libr. de incarn. unig. cap. 12. Et hæc quidem de persona passioni & morti obnoxia, quæ Christus Filius Dei seu Filius hominis est, ἐν σαρκὶ illam sustinens.

An divinitati in passione nihil sit adscribendum?

QVÆSTIO II.

Quid Christus passus fuerit, & an dolores etiam infernales?

Initio notandum, quod quamvis per passionem Christi omnes infirmitates & misérias intelligere possimus, quas Christus toto vitæ suæ curriculo tempore exinanitionis in hoc mundo perpeffus est: tamen cum de passione Filii DEI κατ' ἐξοχήν dicta agitur, triduum illud extremum vitæ intelligi, in quo propter peccata nostra horrendum supplicium, acerbissimos cruciatus & varias injurias in corpore & anima per-

Christus passus





Corpore  
&  
Anima.

passus est. In corpore sanctissimo, quas passiones Christus sustinuerit, ex prædicatione à Christo in Evangelio nostro facta, ejusque complemento satis liquet. In anima, quas angustias perpessus fuerit, tum ex eadem Evangelii nostri prædicatione, tum ex aliis Scripturæ locis apparet. In catalogo enim passionum suarum ipse Redemptor talia reponit in nostro textu, quæ non corpori, sed animæ principaliter dolorem afferunt, quæ licet ludibriis & contumeliis affici, de quibus Psalm. 69. v. 8. 10. 19. 21. Aliis in Scripturæ textibus ingentis tristitiæ, consternationis, anxietatis, angustiarum, metus & pavoris mentio habetur. Esa. 53. v. 11. Luc. 12. v. 50. Joh. 12. v. 27. Matth. 26. v. 37. Marc. 14. v. 33. 34. Luc. 22. v. 44. Psalm. 22. v. 2. 3. 12. 15. 16. Matth. 27. v. 46. Sensit enim illa judicium Dei irascentis peccatis nostris, quæ in ipsum coniecta fuerunt, sensit cruciatus infernales, & cum tentatione de desertione graviter luctata est. Et sanè quia non corpus tantum, sed & anima hominis peccaverat, Filius Dei etiam nostro loco verè & corpore & anima pati debuit, ut & animam & corpus liberaret. Verùm hanc magnam passionis Christi partem impugnant Jesuitæ, dum negant, Christum præter temporales pœnas & passiones corporales inferni quoque dolores sustinuisse, & iram Dei, tyrannidem Satanæ, maledictionem legis, abjectionem à facie Dei, æternæque mortis horrorem in sancta sua anima sensisse, ut videre est apud Bellarmin. libr. 4. de anima Christi cap. 8. Franc. Suarez. contr. in 3. Thom. Tom. 2. quæst. 46. sect. 1. fol. 330. Quibus se adjungunt Fevardentius, Bilsonus, Valentinianus, & alii. Quem errorem paulò superius allegata Scripturæ loca penitus refellunt: quibus addatur locus Galat. 3. vers. 13. *Christus nos redemit à maledictione legis, dum pro nobis factus est maledictum, quia scriptum est, maledictus omnis, qui pendet in ligno.* Qui enim maledictus est, & quidem maledictio Dei, ut lex Deut. 21. v. 23, loquitur, is est sub irâ Dei, & judicio ejus obnoxius. Christus autem teste Paulo, tale maledictum, & ipsa Dei maledictio factus est. E. fuit pro nobis sub ira Dei, & judicio ejus obnoxius. At quomodo sub ira & judicio Dei factus est, si maledictionem, iram & judicium Dei irati non sensit? Sed contra hanc Scripturæ & nostram assertionem Bell.

Jesuitarum  
error.



Bellarmin. d. l. ex Evangelii nostri textu ita insurgit: *Dominus Obiectio*  
(inquit) *Bellarmini.* Luc. 18, Matth. 20, Marc. 10. *prædicit Apostolus passionem*  
*suam, & nominat flagella, sputa, crucem, mortem, & subjungit conti-*  
*nuò: Et tertia die resurget. Ubi quæso reliquit dolores damnatorum,*  
*& cruciatus gehennæ? Id scilicet vult dicere, falsò id in Eccle-*  
*siis nostris doceri. Verum R. 1. argumentum procedere à par-*  
*ticulari. Quid n. ? an non eadem consequentia liceret inferre:*  
*Ergò Christus non est cruci affixus? cum neque hujus fiat ini-*  
*bi mentio. Etiam si igitur hoc in loco, tanquam in brevi epi-*  
*tome, non omnes gradus & species passionum nominatim ex-*  
*primantur, negari tamen idcirco reliquæ non debent, de qui-*  
*bus non minus Scriptura nobis concionatur. 2. Voluit igitur*  
*Christus ea tantùm discipulis suis commemorare, quæ in sen-*  
*sus exterius incurrebant, & ex quibus scandalum suboriri illis*  
*poterat: Cujus amotio principalium hujus prædictionis cau-*  
*sarum una est, ut in ἀναλύσει dictum. Cruciatu autem &*  
*dolores isti infernales interni erant, & ipsi animæ *Ἰαν. Ἰράπ**  
*infixi. 3. Imò sub generali passionis nomine isti animæ cru-*  
*ciatus comprehenduntur, & sub generali isto Christi pronun-*  
*ciato, quod in Filio hominis omnia debeant impleri, quæ scri-*  
*pta sunt à Prophetis. Apud Prophetas autem harum animæ*  
*angustiarum crebra habetur mentio. Sic laborem animæ ex-*  
*primit Esaias cap. 35. v. 11. derelictionem, David J. 22. v. 1. & c.*  
*4. Supra dictum est, acerbiter illum & conviciorum,*  
*de quibus Christus hinc prædicit, omninò ad ipsam sanctissi-*  
*mam Salvatoris animam penetrasse. Ubi igitur status animæ*  
*Christi in passione tam quietus & ab omni doloris sensu re-*  
*motus, uti volunt prædicti Babylonicæ turris extructores?*  
*Alia argumenta sententiæ nostræ opposita, quæ apud Bellar-*  
*minum d. l. magno numero habentur, pagellarum angustia*  
*præpeditus omitto.*

### QVÆSTIO III.

An Scriptura sacra sit perplexa &  
obscura?

De difficultate & obscuritate Scripturarum differendi  
occa-





Statu con-  
troverſie  
legitimus.

Judex con-  
troverſiarū  
duplex.

Occaſionem ſibi capta Bartſchius ex illis Evangelii noſtri ver-  
bis v. 34. ubi trina repetitione ignorantia diſcipulorum per-  
ſtringitur. Ex illa vero Scripturarum ( ut ait ) difficultate hæc  
colligit *πρὸς ματθ.* 1. Periculoſiſſimum eſſe vulgus Chriſtia-  
norum promiſcuè ad Scripturam admittere. 2. Illudque ju-  
dicem omnis controverſiæ ex Scripturis conſtituere. Verba  
ejuſ à Mehlſur. in vindiciis hujus Evangelii theſ. 48. citantur.  
Nos breviter ipſiſic ſatiſfacimus, ut dicamus 1. Diſſertationem  
ipſius legitimi ſtatus perverſione laborare. 2. Nullam in eſſe  
conſequentiæ rationem in argumento. & 3. Ipſi Deo opinio-  
num illa monſtra adverſari. *Primum membrum* planum ſit ex  
perſpicua ſententiæ orthodoxæ expoſitione. In quæſtione  
de Scripturæ divinæ & Canonice perſpicuitate non hoc aſſeri-  
mus, quod omnia in Scripturis contenta adeò plana & intel-  
lectu facilia ſint, ut cuiſvis primo aſpectu pateant: ſed  
quod dogmata fidei, quorum notitia omnibus ad ſalu-  
tem neceſſaria eſt, perſpicuè in eis ſint propoſita; quorum  
etiam intelligentia, adhibita legitimorum mediorem uſur-  
patione, & impetrata ſedulis precibus divina illuminatione  
( neque enim hæc omnia excluduntur ) erui & haberi exinde  
poſſit. Eſto igitur, quædam eſſe intellectu difficilia, ut ver-  
ba Chriſti fuerunt ipſius diſcipulis, à parte tamen eaque mini-  
ma ad totum, à non neceſſariis ad neceſſaria fidei dogmata ar-  
gumentari velle, ἀλογον & inconſuetum eſt. 2. Lutherus  
diſtinguit inter claritatem Scripturæ in ſe, & reſpectu noſtri,  
in lib. de ſervo arbit. Licet igitur nobis mentis caligine & in-  
tellectus cœcitate laborantibus quædam obſcuriora videantur,  
ut diſcipulis contigit, tamen Scriptura in ſe manet lucida il-  
luminans oculos Pf. 19. 9. 3. Neque promiſcuum vulgus,  
ſed quemlibet tamen citra perſonarum & ordinum reſpectum,  
attentum autem diligentem & pium lectorem admittimus.  
4. Et judicium controverſiarum non homini, ſed ſoli Scriptu-  
ræ ſeu lectori Scriptura fideliter utenti, & quatenus ex Scriptu-  
ra loquitur, deferimus. Duplex quippe controverſiarum  
Theologicarum judex: *Absolutus & principalis*, qui ſolus Deus  
eſt Scripturæ autor, vel quod idem, Spiritus ſanctus per Scri-  
pturam loquens: *Et ministerialis ac inferior*, Scriptura ut unica judi-



judicandi normâ & amussi utens : Qui docendi causa duplex iterum potest statui : Publicus ac privatus. *Publicus* judex est ministerium Ecclesiasticum, *Privatus* est membrum aliquod Ecclesiæ, persona sc. privata: Ut hæc omnia à Theologis, præsertim à Clariss. Dn. Præside in loco de Scriptura, & prælect. pub. fusè probantur & explicantur. Hoc verò controversiæ genuino statu intellecto, quid ponderis Bartschiano discursui insit, facile videre est. II. Consequentia male vitium eidem discursui inesse non minus manifestum. A discipulorum n. falsarum opinionum cincinno intricatorum ignorantia ad obscuritatem totius Scripturæ quæ consequentia? à quorundam in Scripturis (ad salutem haud ita necessariorum) difficultate ad universalem lectionis Scripturarum subtractionem & surreptionem quæ consequentia? Nulla utrobique. III. Deo & ipsius voluntati hæc opinionum monstra adversari constat. I. Ipse Scriptur. autor est, hinc perspicue in iis loqui & potuit, cum sit ipsa Sapiencia, & voluit, cum ob nostram salutem & informationem scribi illas curaverit. Qui ergò obscuritatis Scripturas incusat, Dei gloriam non parum obscuram reddit, & in ipsum Deum est injurias. Ipse etiam de perspicuitate sui verbi tam sæpè testatur, vide Deut. 30. v. 11. Ps. 19. v. 9. Plal. 119. v. 105. Prov. 6. v. 23. 2. Pet. 1. v. 19. &c. Hoc igitur qui negat, mendacii Deum, qui ipsa veritas est, incusat. 2. Deus singulos ad sacrum istum Scripturarum & Israël fontem admittit. Deut. 6. v. 6. cap. 17. v. 18. Jos. 1. v. 8. Joh. 5. v. 39. Col. 3. v. 16. 1. Thess. 5. v. 27. ut ex illo haurire possint, quæ ad doctrinam & consolationem Rom. 15. v. 4. & ad salutis æternæ σοφίαν & informationem Joh. 20. vers. 31. 2. Tim. 3. v. 15. pertinent. Refragantur igitur Deo, qui quosdam nefarie repellunt. 3. Christus & Apostoli judicium de doctrina ex Scripturis sacris auditoribus permittunt, Matth. 7. v. 15. Rom. 15. v. 17. 1. Cor. 10. v. 15. c. 11. v. 13. Gal. 1. v. 8. 1. Thess. 1. v. 21. Joh. 4. v. 1. Confer exempla Berrhoënsium Act. 17. v. 11. & dictum Apostolicum 1. Cor. 2. vers. 15. Deo igitur obloquuntur, qui judicium hoc Laicis & auditoribus eripere conantur, soli Rom. Papæ (quem specioso Ecclesiæ nomine exornant) illud unà cum suprema

*Consequen-  
tia nulla  
argumento  
inest.*

*Deo adber-  
satur ad-  
versarius.*  
1. *Quoad  
perspicuita-  
tis negatio-  
nem.*

2. *Quoad  
Laicorum  
à Scripturis  
repulsionē.*

3. *Quoad  
judicis con-  
stitutionē.*

E Scri.





Scripturas taxandi autoritate vendicantes. Sed in causa Solis  
radio scripta, quid opus pluribus immorari?

## EX PARTE ALTERA

### QVÆSTIO IV.

An ad conversionem hominis liberum ipsius  
arbitrium aliquid cooperetur?

Quò castellum aliquod fortius ac munitius, eò majori  
vi ac pluribus copiis ab hoste solet oppugnari: Idem in hoc  
religionis nostræ articulo de libero arbitrio hominis post la-  
psum, videmus contingere. Is enim cum primaria <sup>op. & doct.</sup> doctrina  
nostræ arx & metropolis sit, ardentiori etiam studio atque  
opera ab inimicis gratiæ divinæ, vexilli Romani militibus ho-  
dieq; oppugnatur. Hinc in conquirendis & attrahendis pro sua  
sententia armis atq; argumentis adeò industrii sunt, ut mireris  
sepius, tantam Scripturarum *ερεβλόγητα* & detorsionis stu-  
dium in homine dari posse. Exemplo inter reliquos hac vice  
Stapletonus sit, qui promtuario suo Catholico, tùm aliis in  
Evangelis, tùm in hoc etiam nostro nullibi non invenit,  
quod ad fulciendam suam *ερεβλόγητα* facere existimat. Ex  
interrogatione Christi, cæco mendicanti facta, *Quid tibi vult  
faciam*, locum format observandum contra hæreticos (ut  
hæreticissimus ipse nos appellare non veretur) qui totum opus  
bonum (inquit) aut conversionis ad Deum à statu peccati, aut pro-  
gressu ad virtutem in statu gratiæ, solius esse Dei opus volunt, homi-  
nem verò nihil cooperari, ut sic sectatores suos egregiè securos & ociosos  
reddant, totum Deo relinquentes. Hoc sc. modo sententiam  
nostram (quam postea, dementissimum & pestilentissimum  
errorem vocat) pponit, illamq; pluribus contortis argumen-  
tis refutare, suam verò stabilire conatur. Quæ antequam ad  
trutinam divini verbi appendamus, de statu quæstionis hoc  
præmonendum: Confundi à Stapletono diversos hominis sta-  
tus, de quibus distinctè loquendum erat. In controversia enim  
istà de libero arbitrio, non est quæstio de statu hominis renati  
ac

*Staplet.*

*Status quæ-  
stionis non  
rite forma-  
tus.*



ac renovati, quomodo in eo vires liberi arbitrii sint constitutæ  
 fateamur enim ultrò, hominem per Spiritum S. regeneratum ac  
 renovatum ad bonum spirituale liberam habere voluntatem,  
 quippe virtute Spiritus sancti à peccati servitute liberatam.  
 Nequaquam igitur negamus; (quod nobis tribuit adversarius)  
 hominem in progressionem ad virtutem in statu gratiæ (ut lo-  
 quitur ipse) Spiritui S. cooperari; quin potius disertè asserimus,  
 tres esse cujusq; bonæ actionis (in renato homine) causas i. ver-  
 bum Dei. 2. Spiritum S. 3. voluntatem humanam, modò rectè  
 & commodè etiam hoc intelligatur & explicetur. Sed de statu  
 peccati & corruptionis tota quæstio intelligenda est, *an scilicet*  
*homo nondum renatus, quando excitatur, (i.e. admonetur) divinâ gratiâ*  
*præveniente, habeat in se vires aliquas sive facultatem Deo assentiendi,*  
*& cooperandi in actionibus verè & merè spiritualibus, & præsertim*  
*conversione sui?* Id quod *διαρρηδν* negamus, adducti manifestis  
 Scripturæ oraculis, quib. 1. hominis corruptio per peccatum  
 introducta in genere ob oculos ponitur, Joh. 3. v. 6. Rom. 5. v.  
 19. Job. 14. v. 4. Jer. 17. v. 9. Eph. 2. v. 3. & c. 2. quibus homo post  
 lapsum in statu corrupto constitutus non nisi malè agere evin-  
 citur Matth. 7. v. 18.  $\psi$  14. v. 1. Rom. 3. v. 9. & seqq. Gen. 6. v. 5.  
 c. 8. v. 22. & c. 3. Quibus in homine non renato tum intellectus  
 cæcitas, 1. Cor. 2. v. 14. 2. Cor. 3. v. 5. Rom. 8. v. 7. Eph. 5. v. 8. Joh.  
 1. v. 5. Act. 26. v. 18. tum voluntatis aversio & pravitas indicatur.  
 Gen. 6. v. 5. Job. 14. v. 4. Eph. 2. v. 1. 3. Joh. 3. v. 6. & c. 4. Quibus  
 conversio ad Deum propriis hominum viribus adimitur Matt.  
 12. v. 34. Jer. 13. v. 23. 1. Cor. 12. v. 3. Joh. 6. v. 44. Joh. 15. v. 5. Et  
 soli Deo adscribitur Ezech. 36. v. 26. c. 11. v. 19. Deut. 29. v. 3. 4.  
 $\psi$  51. v. 12. Phil. 1. v. 6. & c. Quæ argumentorum pondera cum  
 pleniori evolutione vide apud Cl. Dn. Præsid. Loc. de lib. arb.  
 S. 34. & seqq. Dn. D. Meisn. *ἀνδρα* sacr. disp. 22. His præmis-  
 sis ad Stapletonum revertimur, qui pro Romanensium senten-  
 tia hæc adducit fulcra.

*Corrigitur.*

*Demonstra-  
tio vera  
sententia.*

*Adversarii  
argumenta:  
I.*

1. Christus non contentus oratione & clamore cæci, rogat disertè,  
*quid tibi vis faciam? ut doceret sua beneficia gratiæ non nisi volentibus &*  
*cooperantibus dari.* Eodem ex hoc Evangelico textu desumpto argu-  
 mento utitur Costerus part. conc. p. 660. Sed  $\beta$ . 1. Laborare  
 id argumentum fallacia causæ. Quæ n. vera istius interrogatio-  
 nis





nis Christi causa fuerit, ex superiori verbor, hor. *ἀναλόγως* patere potest. Igitur ratio interrogationis quæ affertur, ne in mentem quidem Salvatori venisse statuenda est. 2. si vocabulum (Volentes) opponatur iis, qui media gratiæ pertinaciter rejiciunt, & sic idem significet, ac non repugnare mediis à DEO constitutis, concedimus, non nisi volentibus gratiam illam conversionis salutaris contingere. Neq; n. Deus ad conversionem homines violentè trahit: sed per verbum agit, quod qui repudiant, gratia cadunt: qui v. minimè Spiritui S. per verbum loquenti reluctantur, gratiam illam accipiunt: Si v. (quod adversarius intendit) de efficaci quadam voluntate, in ipsa conversione cooperante illud vocabulum accipiatur, negamus id manifestè, distinguentes inter *τὸ* velle, & *τῆς* velle causam. Illud hominis voluntati adscribitur ut subjecto, sola a. & unica Dei gratia est, quæ facit, ut voluntas ita converti velit. *Deus n. est, qui operatur in nobis & velle & perficere, pro bona voluntate Phil. 2. v. 13.* 3. Si Christus ideò interrogat cæcum & voluntatem ejus explorat, ut ostendat, gratiam suorum tūm miraculorum tūm spiritualium effectuum non nisi cooperantibus dari: quomodo voluntas & promptitudo istius cæci ad ipsam sanationem cooperari potuerit? Anne soli Christi misericordiz (exclusa omni cooperationis larvâ) miraculum illud nō est adscribendum? Anne petendo & opem implorando aliquo modo meremur beneficia, & ita cooperamur? Certè quò quis subditorum pertinaciùs instat, orando apud Principem, eò magis Princeps obstringetur ad annuendum propter meritum illud, siquidem Deum (ut decet) imitari velit. Sed satis de palmario hoc & ex Evangelio petito argumento. In reliquis, quæ affert, antiquâ Bellarm. & aliorum lyrâ oberrat. Videbimus tamen quid bonæ rei danat.

II. Argumentum.

Et.

II. Igitur argumentum ex illis Scripturæ testimoniis format, quæ peccatores ad voluntariam conversionem provocant, Zach. 1. v. 2. 4. 95. v. 8. Ezech. 18. v. 31. Matth. 7. (Cujus tamen loci verba Matth. 12. v. 33. habentur) 4. 81. v. 11. Sed 1. satis faciat fratri suo, & pro nobis respondeat ipse Bell. qui lib. 2. c. 16. ad idem hoc Pelagianorum argumentum responsurus ita loquitur; *Scripturæ dum hortantur homines ad conversionem, ad moment, ut*





nent, ut cum à Deo vocantur & excitantur, non resistent Spiritui sancto, juxta Psalmum, Hodie si vocem ejus audieritis, nolite obdurare corda vestra. Hæc Bell. sibi ipsi aliàs, & complici suo contradicens. 2. A præcepto & cohortatione ad posse nostrum non valere consequentiam, vulgatus & Scripturis comprobatus canon est. Sardi audire jubentur, cæci intueri Es. 42. v. 18. At in propriis ipsorum virib. situm illud non est. Numerare stellas Abraham jubetur Gen. 15. v. 5. At illud præstare non potest. Puella surgere jubetur Matth. 19. vers. 5. At illas vires non à se, sed à Christi gratiâ eaque sola accipit. Lazarus foràs venire jubetur Joh. 11. v. 47. At à Christo excitatus non sua vi venit. Par hoc in loco esto judicium. 3. Si mandata & cohortationes illæ facultatem hominis præsupponerent vel arguerent, tùm solæ vires humanæ voluntatis ad illud præstandum sufficerent, quod jubetur; id quod tamen nec ipsi Pontificii concedunt. Plenius & accuratius responsum cape extract. Cl. Dn. Præs. de l. arb. §. 82.

III. Argumentum ex illis locis deducit; in quibus Deus adjutor noster dicitur, ejusque adjutorium imploratur, Psal. 26. v. 9. (Bellarminus addit Psal. 27. v. 9. Psal. 60. v. 2. Rom. 8. v. 26. 1. Corinth. 15. v. 10.) Quoties enim id fit, toties nos Deo ad salutem nostram cooperari Scriptura docet. 1. Confunduntur iterum homines conversi cum convertendis. De illis dicta quædam loquuntur, de his verò nullum. 2. Confunditur adjutorium gratiæ in spiritualibus, & auxilium liberationis in angustiis. De hoc non illo dicta quædam Psalmica loquuntur. 3. In vocabulo *Adjutoris*, præposterè urgetur, compositio vocis *Ad, & jutoris*: Cum tamen certum sit, stylo Biblico, & ex indole aliarum linguarum, *adjutoris*, *auxiliatoris*, *liberatoris* voces esse Synonymas, ut Deus tantò illustrius sit noster *Adjutor*, quantò magis rebus omnibus desperatis ad ipsum omnis facultas juvandi unice recedit. 4. Dictum 1. Cor. 15. vers. 10. nostram sententiam valde confirmat. Ibi enim nullius cooperationis mentio fit, sed omnia divinæ ascribuntur gratiæ.

IV. Adducit dictum Apocal. 3. v. 20. *Ecce sto ad ostium & pulso si quis aperuerit mihi intrabo, & cœnabo cum eo.* Et 1. Joh. 3. v. 3. *Omnes qui habet hanc spem, sanctificat se, sicut ipse sanctus est.*

III. Argu-  
mentum.

Exo

IV. Argu-  
mentum.

Sed

E 3



Sed *R.* ad i. Non nostram *inobediencia*, sed officii nostri debitum de-  
notari. Deus enim malleo legis corda nostra pulsat, nostrum  
est aures non obturare, corda non obstruere, sed pulsantis vor-  
cem audire, & ingredientem promptè recipere, id quod non no-  
strà, sed Dei virtute possumus Phil. 2. v. 13. Actor. 16. vers. 14.  
Quando enim ostium cordis nostri per verbum pulsatur, adest  
simul gratia Spiritus sancti conversionem operari cupientis, &  
in illa pulsatione tum forinsecus astat, tum interius agit. Ad  
2. Loquitur Apostolus non de voluntaria conversione, sed re-  
geniti hominis renovatione, & studio bonorum operum, quod  
ex oppositione in v. seq. manifestum est.

V. Argu-  
mentum.

R.

V. Fundamentum ab absurdo deducit hoc modo: He-  
reticos negando liberam nostram cooperationem in spiritualibus tollere  
illum articulum in Symbolo, quod iudicabit Deus vivos & mortuos. At  
verò audaciam hanc adversarii quis æquo ferat animo? Judi-  
cabit Deus & justè puniet eos, qui merè gratuitam istam dono-  
rum suorum oblationem negligenter aut pertinaciter repu-  
diant, & Spiritum sanctum in verbo efficaciam suam promitten-  
tem negligunt: quomodo igitur liberi in spiritualibus arbi-  
trii denegatio justum illud iudicium Deo quasi excutiet? Num  
isti solum pœna digni, qui cum potuerint, non fuerunt coope-  
rati? an non etiam & multò magis ii, qui illud, quod soli gra-  
tiæ sine ulla nostra cooperatione adscribendum, admittere  
nolunt? Damnantur infideles, quia Spiritus sancti operatio-  
nem in seipsis impediunt, pœna igitur digni: Beabuntur fide-  
les, quia Christum (non propriis viribus, sed ex operatione  
Spiritus sancti, cui non refragantur) recipiunt, & ad finem  
constanter perseverant. Manet igitur Deus justus vivorum &  
mortuorum iudex: manet in voluntate hominis omnium vi-  
rium ad Deum se convertendi *ad verba*.

VI. Argu-  
mentum.

VI. De similibus & allegoricis illustrationibus, quas  
sua pro sententia affert Staplet, utpote, quod Deus per ministe-  
rium Moysis miracula facturus, usus sit virga ejus Ex. 4. 7. 8.  
14. 17. Quod Elisæus oleo ditaturus viduam, vasis ipsius usus  
est. 4. Reg. 4. Quod Christus aquam in vinum conversurus mini-  
strorum opera & hydriis aqua impletis usus est: Joh. 2. Quod La-  
zarum resuscitaturus amicos tollere lapidem iussit Joh. 11. quib.  
doceri



doceri dicit, Deum velle ut in operibus gratia id quod habemus in manu & domo nostra, propriae voluntatis arbitrium ad opus conferamus: De illis, inquam, si de ullo alio similitudinum genere, dici optimè potest: Quod omne simile clauderet & currat quatuor pedibus. Et vanitatem atq; *ἀουδοξία* illorum vel cæcus videt. De dictis Patrum, præsertim Augustini, cujus auctoritatem crebrò intermiscet, quid sentiendum sit, vide demonstratum apud Cl. Dn. Præf. d. l. §. 79. & 83. Nos properamus ad residua.

### QVÆSTIO V.

An fides quâ bonis operibus est informata, salvet?

Prodit iterum antagonista noster Stapletonus & pro stabilitate *ἀουδοξία* sua de operum merito, & ad salutis acquisitionem efficacia, ita ex Evangelii nostri textu disserit: *Non dixit Christus: Fides te salvum fecit, sed fides F. U. A, i. e. qualem tu jam ostendisti orando, inclamando, & perseverando in oratione fuerunt ergo hic multa opera bona præter fidem.* part. 1. promt. Cathol. p. 88. Sed leve & arenosum hoc fundamentum est, quod facillimè dejici potest, si consideretur 1. Laborare illud. *ἡρώδης μνηστέον* *Fides tua* Mea n. & tua fides dicitur, non propter bona opera, quæ justificationem & salutem hominis meritorie ingrediuntur, sed propter uniuscujusq; propriam fiduciam, & individualem applicationem divinæ gratiæ in Christo Jesu propositæ, qua quilibet (ut hoc loco mendicans cæcus) pro sua persona confidit, Deum sibi propitium fore. Pertinet huc quod Matth. 9. v. 22. Christus ad hæmorrhousam mulierem à se sanatam iisdem verbis utitur: *Fides tua te sanavit.* Illa verò non ab operibus fidem informantibus, sed à certissima fiducia & *ἀουδοξία* describitur, qua dixit intra se: si solum tetigero vestimentum ejus, sanabor. vers. 21. Et Matth. 15. v. 28. *O mulier, magna est fides tua, fiat tibi sicut vis.* Ubi fides Cananæ magna dicitur, non ob operum præstantiam, sed firmissimam fiduciam, qua gravissimæ tentationis perruptione, (quæ describitur v. 23.) victrix tandem evasit, & invincibilem vicit & vinxit.

2. Con-

*Fides tua  
quomodo  
explicari  
bit?*



*Distinctio* 2. Confundi operum cum fide immediatam connexionem, &  
*inter operū* eorundem in justificationis & salutis causa cum fide operatio-  
*cum fide* nem. Illam cum D. Paulo Galat. 5. v. 6. concedimus & propu-  
*connexionē* gnamus, hanc cum eodem, Rom. 3. 4. 11. Gal. 2. &c. pernega-  
*Operatio-* mus. Cæci à Christo sanati fidem non fuisse operibus delictu-  
*nem.* tam, sed insigniter per orationē, perseverantiam &c. sese ex-  
 eruisse, lubenter concedimus, & ex ipso textu urgemus: Inte-  
 rim sola fides sine merito illorum operum (quæ fructus fidei  
 fuerunt) istud spiritualis & corporalis sanationis donum à  
 Christo accepit. Manet igitur firmum, quod fides sola sit, quæ  
 proprium suum objectum, Dei sc. gratiam in Christi sanguine  
 propositam, & in Evangelii verbo oblatam fiducialiter appre-  
 hendit: interim tamen quod sola non existat, sed per varios  
 fructus sese exerat. Gal. 5. v. 22. 23. 24. 1. Joh. 3. v. 6.  
 Rom. 8. v. 14. Breviter: Fidei opera adsunt, sed fidei ad salu-  
 tem non cooperantur.

## QVÆSTIO VI.

An gloriæ Christi derogetur per justi-  
 tiam operum?

Prostratus est levis iste armaturæ miles, justiciam operum  
 ex textu nostro defendens: succedit alius, qui pro eadem pro-  
 pugnanda ex iisdē Evangelii nostri verbis tale colligit *περίοδος*.  
 Ergò, inquit, gloriæ Christi nihil decedit, etiam si nostrū operibus & fi-  
 dei salus attribuat, quia Christus ipse attribuit. Bartschius tom. 1.  
 p. 624. citante Mehlfür. in vind. Evangelii §. 102. Sed Resp.  
 Largius & plus adversarium extrahere, quàm ipse textus ferre  
 vel permittere possit. 1. Christus fidei non operibus adscribit  
 salvationem, quæ duo quàm longè & procul inter se distent,  
 novit is, qui opera in circulo justificationis & gratiæ Dei Rom.  
 11. v. 6. Eph. 2. v. 8. 9. & merito Christi Galat. 5. v. 2. 4. & ipsi fidei  
 Rō. 3. v. 28. c. 4. v. 5. *ἀντιδιγενέτως* opponi novit. 2. Non adscribit  
 Christus salutem fidei ut operi cuidam & merito (quò tendit  
 adversarius, opera & fidem cōjungendo) sed ut fiduciali suæ  
 promissioni apprehensioni. 3. Quando igitur fidei tribuitur  
 salus, & nds cum Christo soli fidei justificationem & salutem  
 adscribimus, nihil omninò decedit gloriæ Dei, Ratio est, quia  
 per

An per fidē  
 detrabatur  
 gloriæ Dei?



per illam omnis nostra dignitas & cooperatio excluditur, & omnia soli gratiæ Dei accepta feruntur, quam fides, ceu manus mendica apprehendit. At v. quàm longè alia ratio est operum, quæ circulo justificationis Pontificii ingerunt, & salutē ijs coram tribunali divino promereri statuunt. 1. Detrahitur illorum propugnatione Dei misericordiæ; *Si n. ex gratia, jam non ex operibus, alioqui gratia non erit gratia.* Rom. 11. v. 6. Justificat nos Deus gratis sua gratia Rom. 3. v. 24. Justificationi igitur si meritum aliquod congrui (ut vocant) ingeritur, an non Dei gratia labefactatur? Deus salvat nos gratis secundum misericordiam suam Eph. 2. v. 8. Tit. 3. v. 5. Salvatio igitur quando merito alicui ex condigno adscribitur, an non gratia Dei labefactatur? August. in 1. 144. *Ubi audis gratiam, grati intellige; Si ergo gratis, nihil tu attulisti, nihil meruisti, nam si meritis aliquid redditum est, merces est, non gratia.* Idem l. 2. de peccat. merit. & rem. cap. 24. *Gratia non est gratia ullo modo, nisi sit gratuita omni modo.* Bernh. ser. 76. in Cant. col. 696 *Non est, quò gratia intret, ubi jam meritum occupavit. Deest gratiæ quicquid meritis deputas, nolo meritum quod gratiam excludat.* 2. Detrahitur illorum propugnatione Dei justitiæ. Quia n. bona reatorum opera sunt imperfecta, 1. Cor. 13. v. 9. 10: Phil. 3. v. 12 Rom. 7. v. 14. sunt immunda, & peccati in carne adhuc hærentis sordibus inquinata, Es. 64. v. 6. 1. 32. v. 6. Ex. 34. v. 7. Job, 9. v. 2. 3. 1. 19. v. 13. Certè non possunt iudicio divino opponi, quod plenariam & perfectam justitiam exigit. Hinc est quod Sancti iudicium Dei deprecantur, quippe agnoscentes opera sua non posse illius rigorem sustinere 1. 130. v. 2. Ps. 143. v. 2. Dan. 9. vers. 18. 1. Cor. 4. v. 4. &c. Quando igitur in operibus nostram coram Deo justificationē quærendā esse, & nostra opera iudicio Dei opponi posse docetur, annon perfectissima Dei justitia, qua numeris omnibus absolutam, & nulla peccati labe contaminatam obedientiam à nobis requirit, oblique convellitur? 3. Detrahitur illorum propugnatione meriti à Christo præstiti summæ perfectioni. Si enim ad salutis efficientiam in ordine causæ meritoria ad meritum Christi requiri statuuntur nostra merita, certè meritum Christi non erit perfectum: Aut si hoc perfectum est (uti est certissime) merita nostra illi addere est vesti-

An per opera?  
Detrahitur per illa  
1. Dei misericordiæ.

2. Dei justitiæ.

3. Christi meriti perfectioni.

F pulcer-





pulcerrimæ sordidos panniculos assuere, debitamque Christo gloriam detrahere. Quæ *σοφία* illi *φαιράνας* à Bell. Lessio & aliis adhibito responderi debeant & possint, vide apud Clar. Dn. Præf. tr. de bonis oper. §. 69. Nos hic subsistimus, crucifixum pro nobis Christum Jesum devotè rogantes, ut ne cum servis suis in iudicium intret, sed indignitate nostra & operum nostrorum imperfectione sepositâ, propter sanctissimum & perfectissimum *λύτρον* suum nostri misereri, & æternum nos salvare velit, A M E N.

CATALOGUS ERRORUM, EX P O-  
*stillatoribus quibusdam hereticis*  
*collectorum.*

I. Barrad. l. 6. c. II. Quia Hierosolyma Christum crucifixit, quapropter sceleratam civitatem deseruit Rex maximus: aliam extruxit civitatē, alios sibi asscivit cives, à quib. honore merito afficitur. Ecce ascendit Romam mundi caput &c.

II. Idem ibid. Ascenderunt cum Christo in cruce opera nostra. Jacent ipsa absque meritis Christi. Ex Christi cruce & meritis habent meritum.

III. Coster. Assumit Christus discipulos, ad docendum, quod passio sua ad omnes suos discipulos spectet, & non ad ullum alium. Nemo enim fit particeps passionis suæ, nisi tantum Christiani & omnes Christiani, propterea quod omnia Christi merita Ecclesiæ sanctæ sunt commissa: atq; omnes isti, qui in illa sunt Ecclesia, fruuntur istis, per communionem Sanctorum, licet etiam illi vivant in peccatis mortalibus.

IV. Idem pag. 360. col. 2. In religioso statu constituti per vota paupertatis, castitatis & obedientiæ tanquam tribus clavis firmiter in cruce Christi pendent.

V. Id. p. 364. col. 1. Perpassio & mors Prophetarum sua merita habent ex copulatione cum morte Christi omniaq; nostra bona opera similiter fundantur & constitui debent in ipsius passione, atq; ex illa meritorum suorum vim & virtutem sumunt.

VI. Id. p. 368. Titulum crucifixi Dei Dæmones perti-  
mescunt,



mescunt, & uno signo crucis in aërem facto fugantur, & vires suas amittunt.

VII. Id. p. 377. c. 2. Sacrificium & opus Christi reverenter visum potest plus hominem in anima mutare, quam visus serpentis basilisci, corpus in malum.

IIIX. Ibid. Cæcus peccator instar cæci in Evangelio elemosynam petet à transeuntib. i. e. à bonis, qui cum Christo ad cælum proficiscuntur, petet ab illis orationes pro se fundi ad Deum, & ut particeps sit meritorum eorum.

IX. Id. p. 390. col. 2. Deus certè nullum peccatum remittere vult, nisi prius confessum, & facit omnino contrarium à mundanis iudicibus. Nam apud illos maleficus castigatur per justitiam, si peccata sua cõfiteatur, & carcere liberatur si negat, neq; testibus ullis convincatur. Sed in tribunali Christi per Sacramentum confessionis remittuntur tibi omnia, si ea confessus fueris, sed ne unum quidem tibi condonatur, si vel minimum peccatum mortale subtriceas.

X. Id. pag. 395. col. 1. sunt multi credentes, qui malè vivunt.

XI. Eccius in Post. conc. 1. Aus der Prophecey Daniels (c. 12.) ist klar vnd hell, daß der Luther/ vnd alle die / die den Gottesdienst abthun/ mit Singen vnd Mess lesen etc. sind des Antichristi Vorleuffer.


XII. Id. conc. 2. Welcher geistlicher Weise blind ist / welcher vom Weg Gottes vnd der Gerechtigkeit kommen ist / der soll auch betteln/ die lieben Heiligen anrufen/ daß sie für ihn bitten / die würdige Mutter Maria vnd die Aposteln sind reich / S. Barbara/ S. Anna vnd andere Heiltgen.

XIII. Weigel. in Postill. Dom. Quinq. p. 171. Ich sage durch die gnedige Verleyhung Gottes / daß ich mit kein Gewissen nehme noch mache / mit allen Christen / ich sey in der Welt / wo ich wolte / zu communiciren / denn ich empfahe doch bey allen Secten in der Tauffe vnd im Nachtmahl nichts anders / denn daß Christus gegeben vnd eingesezet hat. Mox apud Calvinianos, Pontificios & quosvis hæreticos bona conscientia Sacramenta sumi posse, demonstrare conatur.

XIV. Idem pag. 175. Es ist ein Büchlein geschrieben/ etwa  
für



für 68. Jahren / heisset Sequere me, das ist / die Nachfolgung  
Christi / so man es einem Prediger zeigt und zu lesen gibt / spricht er  
bald / es sey Papistisch / Schwencfeldisch / Osiandrich / Wieder-  
tauffersch / denn es schmecket seinem Magen nicht / ist nicht eine  
Speise für seine Röhle / er behilff sich mit der Imputativa justitia,  
das ist / mit der zugerechneten Gerechtigkeit / begeret nicht wie  
Osiander, daß Jesus Christus in ihm solte wohnen / daß  
Christi Tod in ihm seyn solte &c.



### Ad Dn. Respondentem.

**S**ub Duce GERNHARDO qui fortiter arma capeffis,  
O SALOMON genium qui Salomonis habes,  
Sudoresq; refers, & tristia funera Christi,  
Quae potis est fidei prèndere sola manus,  
Erroresq; graves, & inepta redarguis orsa,  
Orsa, quibus medium nox premit atra diem:  
Rem facis ingenioq; tuo, multoq; labore,  
Et studiis quàm non dignior ulla tuis:  
Paullatimq; viam teris ad fastigia laudis,  
Nescia quam mortis fama loquetur anus.  
Perge velut pergis, nec eris MAJORE verendis  
GERNHARDOq; viris, HIMMELIOq; minor.

Wolfg. Heider. M.

F I N I S.

os(:)so

5



94 A 7385

ULB Halle  
002 728 095

3



VD17





1. An die ...  
2. ...  
3. An die ...





Inches 1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16 17 18 19  
Centimetres

Farbkarte #13

B.I.G.



15

TIO

minicæ

CE

HARDO

OFESSORE

um bonorando.

LASSIUS

VIII.

MANNL

